B-10
10 d. 18.




226
B47Lv
1748
v.1

Rare Book & Special Collections Library

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/sacrosanctusevan01cava

# SACROSANCTUS
# EVANGELIORUM CODEX
# SANCTI EUSEBII
# VERCELLENSIS

*MANU EXARATUS*

## PARS PRIOR

*CONTINENS EVANGELIA*

## SECUNDUM MATTHAEUM, ET JOHANNEM.

# SACROSANCTUS
# EVANGELIORUM CODEX
# S. EUSEBII MAGNI
# EPISCOPI ET MARTYRIS
*MANU EXARATUS*

EX AUTOGRAPHO BASILICAE VERCELLENSIS

Ad unguem exhibitus

*NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT*

OPERA ET STUDIO

JOANNIS ANDREAE IRICI

TRIDINENSIS,

COLLEGII AMBROSIANI DOCTORIS,

*Cum ejuſdem Praeſatione, Notis, & Concordantibus aliorum Codicum, & SS. PP. Lectionibus.*

MEDIOLANI,

IN REGIA CURIA MDCCXLVIII.

Proſtat apud Bibliopolam Joſephum Bonacinam.

L47LV
1748
V. 1

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

# CAROLO VICTORIO AMEDEO

S.R.E. TIT. S. XYSTI PRESB. CARD. DELLE LANZE

ARCHIEPISCOPO NICOSIENSI &c.

Jo. Andreas Iricus Ambroſiani Collegii Doctor.

E*Ruditorum omnium votis expetitum Codicem Evangeliorum Invictiſſimi Martyris* EUSEBII *Magni Vercellenſis Epiſcopi manu conſcriptum vix typis tradendum ſtatui, cùm ſtatim mihi in mentem venit non alteri quàm Tibi*, Princeps Eminentiſſime, *venerabile hoc ſacrae vetuſtatis mo-*

*nu-*

*numentum humili obſequio conſecrare. Etenim ex illo tempore, quo primùm Te Mediolano pertranſeuntem, favente Eminentiſs. Archiepiſcopo noſtro, Collega tuo* Puteobonello, *mihi licuit conſpicere, ac venerari, en, mecum ipſe tacitus dixi, en cui potiſſimùm tot inter Optimos, queis Catholica fulget Eccleſia, Praeſules Sanctiſſimi Patris Euſebii Volumen offeras. Intuere qualis in Ampliſſima ſit dignitate Humilitas, qualis in Summis Honoribus Modeſtia, qualis in aetatis flore Prudentia, atque Eruditio, quas cum aliis eximiis dotibus Sapientiſſimus Pontifex* BENEDICTUS XIV. *contemplatus ſacra Purpura cenſuit exornandas, ambigentibus interim omni-*

*bus*

*bus utrumne majus Tibi Purpura, an Tu Purpurae conferas ornamentum. Id profecto mihi tunc eveniſſe non inficior, quod Vercellenſibus quondam Civibus, cùm de Paſtoris ſui electione ageretur contigiſſe legeram; quemadmodum enim illi viſo, quem nunquam antea cognoverant, Euſebio,* ſimul ut viderunt & probaverunt; tantùmque interfuit, ut probaretur, quantùm ut videretur; *ita & mihi Te videre idem fuiſſe fateor ac probare. Siſto igitur Te Tibi, Purpuratum ſcilicet Martyrem Purpurato Principi, Vigilantiſſimum Antiſtitem Ornatiſſimo Praeſuli, Erudítiſſimum Epiſcopum Doctiſſimo Viro, Romanae Urbis Lectorem Romanae Eccleſiae*

*Pres-*

*Presbytero, Evangelicum demum Codicem, quo Euſebius adversùs Arianorum furorem Catholicam olim veritatem propugnavit, Sacerdoti ad Evangelicae perfectionis apicem inter corruptos noſtri ſaeculi mores toto pectore anhelanti*, Dominoque *ſimul*, *quem humillimè ſuſpicio, atque colo, minimum me inutilemque ſervum. Munuſculum hoc ſi benigne ſuſceperis*, Optime Cardinalis, *alia non deerunt, quae pro ingenioli mei viribus publici juris facienda confidentiùs quamprimum curabo, eaque Eccleſiae Catholicae, cujus inter Principes merito recenſeris, haud modicùm profutura confido. Vale.*

*Mediol. VIII. Kal. Novemb. MDCCXLVIII.*

IN SACROSANCTUM EVANGELIORUM CODICEM

# S. EUSEBII MAGNI

VERCELLENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS

*MANU CONSCRIPTUM*

## JOANNIS ANDREAE IRICI

AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS

## *PRAEFATIO.*

ALiquot jam volvuntur anni, ex quo Vir Clariſs. Joſeph Blanchinus Veronenſis, eruditionis gratiâ literariae Reipublicae dudum notus in eo, quod vulgavit Opere, cujus argumentum ſunt Vindiciae Sacrarum Scripturarum, univerſam Chriſti Eccleſiam adduxerat in ſpem non modicam fore, ut Sacroſanctum Evangeliorum Codicem, qui in Vercellenſi Cathedrali Baſilica tamquam haereditario jure, utpote Sanctiſſimi Patris Euſebii Magni, Epiſcopi, & Martyris manu conſcriptus, ſervatur, & colitur, ipſe typis traderet; jamque literarum, quibus exaratus eſt, atque laminarum, queis Codex contegitur, formas aeri inciſas in publicum protulerat. Ea mihi res ſummae fuerat voluptati, cùm venerabile illud Volumen aureis, immò gemmeis dignum caracteribus tandem ad Catholicae Eccleſiae non gaudium modò, ſed & utilitatem, lucem aliquando viſurum confiderem; Sanctuſque Parens Euſebius, licet tot ante ſaeculis terreno ſolutus carcere, reviviſcere mihi videbatur, ubi ad haereticorum hominum audaciam denuo

a con-

conferendam illa rurſus arma in medium proferrentur, quibus invictiſſimus Athleta Chriſti quondàm inſtructus adverſus Ariomanitarum furorem, quamdiù fuit in terris, ſtrenue decertavit.

Praeſtolantem igitur cùm mora exoptatiſſimae hujus Editionis protraheret, opportunè contigit ſuperiore anno, ut me Vercellas conferrem, recurrente S. Guillielmi ejuſdem Urbis Civis, & Ordinis Eremitarum Montis Virginis Fundatoris ſolemnitate, jubentibus Illuſtriſſimis, atque Reverendiſſimis Dignitatibus & Canonicis in Cathedrali Baſilica tanti Herois virtutes e ſuggeſtu commendaturus VII. Kal. Quintiles. Id vix pro ingenioli mei tenuitate peregi, enixis precibus poſtulavi, liceret ut mihi Sacrum Euſebianum Evangelicum Codicem, qui inter inſignia Sanctorum Lipſana in Sacrario cuſtoditur, reverenter oſculari; quod cùm a benigniſſimis Viris tanti Theſauri Cuſtodibus haud aegrè impetraſſem, ſtatim provolutus in genua ſacratas paginas religioſis oſculis ſum veneratus; obortiſque prae gaudio repente lacrymis: ergone (mecum ipſe tacitus ajebam) ergone Theſaurus iſte adhuc poſt tot ſaecula latebit, atque univerſi Chriſtiani Populi ardentiſſimum torquebit ſtudium tam pretioſi Voluminis adhuc dilata Editio? Nondum licebit Parentis Sanctiſſimi haereditatem laudabili ambitu oſtentare, & quaſi admirabile quoddam cunctis Fidelibus ſpectaculum offerre, in quo rurſus Euſebii virtute contritis Eterodoxorum conatibus, triumphum ducat Eccleſia? Prodeunt, quo vivimus, ſaeculo tot antiquitatis reliquiae in Tabulariis magno ſtudio, improboque labore conquiſitae, atque utinam ſemper publica luce dignæ; & pretioſiſſimus iſte Codex, venerandae Antiquitatis rariſſimum Monumentum, quo nihil vidi praeſtantius, adhuc in tenebris deliteſcit? Rumpe moras tandem, Blanchine Clariſſime, neque diutius votis publicis intercedas.

Haec effatus, cùm Mediolanum repetere meditarer, Vir doctiſſimus, quocum mihi ſunt omnes amicitiae neceſſitudines, Franciſcus Hieronymus Ruggerius Novarienſis, Sacrae Theologiae Doctor, Canonicus Euſebianus, & divini Verbi praeconio clariſſimus, a me petiit, ut Apographum Sacroſancti Codicis, ad privatum commodum a ſe tunc exaratum, cùm illum ad Eruditiſ-

ditiſſimum Blanchinum mittendum exſcriberet, mecum deferrem, atque a perito aliquo Mediolanenſi Bibliopega pretioſis integumentis, quae rem decerent tantam, ornandum curarem. Quo exceperim animo amiciſſimi Ruggerii voces ille ſecum recogitet, qui novit quae filiorum eſſe debeat in tam illuſtris Patris memoriam, & ſcripta reverentia, pietas, religio, quis in hujuſmodi ſacrae vetuſtatis reliquias ſit bonas amantium literas affectus. Ut verò Mediolanum redux traditum Apographum avidiſſimè perlegi, ſive, ut verius eloquar, devoravi, mecum ipſe meditari coepi, an liberum mihi eſſet Codicem hunc omnibus eruditis Viris exoptatiſſimum inſciis Clariſſimis Blanchino, & Ruggerio in vulgus emittere, neque diutiùs communem expectationem remorari. Compertum interim habebam nunquam fore, ut id mihi per Ruggerium liceret, qui Blanchinum quodammodo decipere videretur, ſi eum mihi Codicem typis tradendi poteſtatem faceret, poſtquam eandem ob cauſam ad ejuſdem Blanchini uſum illum ipſe deſcripſerat. Nec minorem in Blanchino, quamvis humaniſſimo, difficultatem verebar, nunquam videlicet aequo auditurum animo me poſtulantem, ut editionem jampridem a ſe promiſſam alter aggrederetur.

Exſcripſi tamen interea ad animi mei voluptatem quàm diligentiſſimè potui integrum Sacratum Codicem, & Vulgatae Editionis loca, ubi diverſae ab Euſebianis formulis occurrunt voces, ſubjeci: tum Notas aliquot columnis ſingulis addidi, quibus opus eſſe duxi, ne quid deeſſet ad ejuſdem Codicis Impreſſionem, ubi aliquando, Deo favente, eam fieri nihil vetaret. Vix haec ad coronidem perduxeram, cùm amiciſſimus quidam mihi vir Româ adveniens: ecquid agis, inquit, Irice mi? Typis ne aliquid ex vetuſtis Eccleſiae Vercellenſis Codicibus, quos mihi ſaepius per Epiſtolas, dum in Urbe degerem, te pervolutaſſe ſcribebas, utque etiam in Tridinenſi Hiſtoria tua ſpopondiſti, paratum habes? Excitarunt hujuſcemodi verba ardentiſſimam Euſebiani Codicis evulgandi cupiditatem, eamque dudum animo inſitam, ſed quibuſdam ita dixerim cineribus obrutam, protinus in flammam erumpere ſentiens: oh utinam, reſpondi, omni gaza mihi cha-

 riorem,

riorem, quam apud me religioſè ſervo, ex ditiſſimo illo Eccleſiaſticae Antiquitatis Promptuario erutam gemmam in publicum proferre daretur! Percunctatus eſt ille enixiùs quid eſſet in cauſa, cur ab hoc negotio retardarer: ego vero: En quale ſit, quod edere votis omnibus concupiſco: ſimulque Apographum aperui. Haeſit ipſe aliquantulum ſtupenti ſimilis; tum: qua, inquit, via id tandem es aſſecutus, ut hujus tibi exſcribendi poteſtas permitteretur? Faſſus ſum ingenuè quod Ruggerio inſcio feceram; nihilque votis meis obſiſtere, niſi Ruggerii ipſius, atque Blanchini, quos ſummopere colo, reverentiam, ne ſcilicet alienam in meſſem falcem immittere viderer. Subriſit haec audiens Amicus: Euge, inquiens, Irice; omnem enim tibi hac in re ego ſcrupulum adimam, ubi ex me noveris doctiſſimo Blanchino literariis aliis laboribus occupato nihil minùs in mentem venire, quàm Evangelici hujus Codicis Editionem. Inſudat Vir de Eruditis hominibus optimè ſemper meritus aliis conſcribendis, quae propediem lucem aſpicient, quibus in rebus totum nunc illum eſſe tibi ſanctè profiteor; nam Annalium Eccleſiaſticorum Seriem proſequitur diligentiſſimè ex eo tempore, ubi Raynaldus deſiit. Iniquè ergo non feret, ſi quod ipſe Exter nunquam fortaſſe fecerit, tu quamprimum, tu, inquam, Euſebii Filius facias. Nam a Ruggerio quid times? Mirabitur ille ſummum in magnum Parentem, Martyremque inclytum, amorem tuum, quem ſaepiſſimè & coram & ſcriptis teſtatum eſſe voluiſti, & amori tantùm tribuet quodcumque ſe vel invito, nedum inſcio in hujuſmodi negotio perfeceris.

Igitur hiſce me plurimùm diligentis vocibus amiciſſimis auſcultandum eſſe mecum ipſe exiſtimavi, & ſi quid hac in re peccatum fuerit, Blanchinum & Ruggerium Viros Clariſſimos deprecor, ne mihi culpae vertant, quod Euſebium, quem intimis in viſceribus fero, diutiùs latere non patiar, quod exigua amoris teſtificatione filialem illi reverentiam meam commendem, quòd tandem publicis votis ſatisfaciam. Teſtor enim Deum, ipſumque teſtor Euſebium me in hoc venerabili ſacrae Antiquitatis monumento vulgando nullam captare glōriam, ſi eam tamen exceperis,

ris, quae in Filios ex Parentis honore redundat. Salva ſit, atque integra Blanchino doctiſſimo gloria ſua, qui ſcilicet omnium primus de hoc Theſauro Literati Orbis oculis proponendo cogitavit, atque eò jam proceſſit, ut notarum etiam, quibus Euſebius uſus eſt, ſpecimen exhiberet. Mihi ſufficiet tanti Viri ſequi veſtigia, cujus utrùm humanitatem, an eruditionem magìs ſuſpiciam ignoro. Immo ne quid illi a me praereptum aliquis ullo unquam tempore ſuſpicari poſſit, exſcribam hìc, quae jam Blanchinus ipſe in praecitato Opere ſuo eruditiſſimè, ut omnia, ad hunc Codicem pertinentia vulgavit.

„ Impetratum eſt ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Viro „ Fr. Carolo Vincentio Cardinali Ferrerio Epiſcopo Vercellenſi „ vigilantiſſimo, qui in communi Literatorum utilitate tuendâ, „ augendâque verſatur, ut Codex ille Sacrorum Evangeliorum, „ qui S. Euſebii, ejuſdem Urbis Antiſtitis, ac Martyris venerandi, „ fuiſſe traditur (univerſo Illuſtriſſimorum, ac Reverendiſſimo- „ rum Canonicorum Vercellenſium annuente Conventu) exſcri- „ beretur mihi diligentiſſimè, ac tanta gaza meo ſtudio, editio- „ nique reſervaretur. Id conſtat ex authentico documento, quod „ unà cum exemplo inſignis Voluminis mihi tranſmiſſum eſt, „ atque ita Scriptoris diligentiæ in fine adſtipulatur.

„ Fr. Carolus Vincentius Ord. Praedicatorum Divina Miſeratione
„ Tituli S. Mariae in Via, S. R. E. Presbyter Cardinalis
„ Ferrerius Epiſcopus Vercellenſis.

„ SAcri Evangeliorum Codicis a D. Euſebio Magno Epiſcopo „ & Martyre propriâ manu conſcripti, & in ſacro hujus Eu- „ ſebianae Baſilicae Cathedralis Reliquiarum Depoſito ſub fideliſ- „ ſima cuſtodia exiſtentis, anteſcriptum Exemplar, juſſu noſtro, „ accedente Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Capituli hujus noſtrae „ Cathedralis conſenſu, ad poſtulationem Domini Joſephi Blan- „ chini Veronenſis Sacerdotis in Congregatione Romana Sancti „ Philippi Nerii, a Reverendiſſimo Domino Franciſco Hierony- „ mo Ruggeri hujus noſtrae Baſilicae Cathedralis Canonico exa-

„ ratum,

,, ratum, cum Autographo per infraſcriptos Reverendiſſimum
,, Dominum Carolum Franciſcum Cantonum J. U. D. praedictae
,, noſtrae Cathedralis Canonicum, Vicarium noſtrum Generalem,
,, & Jacobum Philippum Novareſe Cancellarium noſtrum, accu-
,, ratè conferri mandavimus: factâque exquiſitiſſimâ collatione,
,, ne verbo quidem aut ſyllabâ ab illo diſſidere, ſed in omnibus,
,, & per omnia fideliter concordare compertum eſt; & ita atte-
,, ſtamur, & dicimus. In quorum omnium, ac ſingulorum fidem
,, has dari per praedictos DD. Vicarium noſtrum Generalem, &
,, Cancellarium ſignari, ac ſigilli noſtri munimine roborari juſſi-
,, mus. Vercellis ex Cancellaria noſtra Epiſcopali, die undecima
,, menſis Junii Anni Milleſimi ſeptingenteſimi trigeſimi octavi.

,, Carolus Franciſcus Cantonus Vic. Generalis.

,, Loco ✠ Sigilli.

,, Jacobus Philippus Novareſe Cancellarius.

,, Hic autem incomparabilis Codex Dux erit, ac veluti An-
,, teſignanus Italae Novi Teſtamenti Editionis. Quatuordecim
,, namque ſaeculis gloriatur, ut ex ipſius ſpecimine impreſſo pag.
,, CCCLXXV. poteris, Sapientiſſime Praeſul, agnoſcere. Habet,
,, ut in aetatibus auctoritatem ſenectus, ſic in Codicibus antiqui-
,, tas; & quidem maximè, cùm agitur de ſtatuenda Antehiero-
,, nymianâ Latini Interpretis Verſione. Venerabili Codice S. Eu-
,, ſebii nemini hactenus uti licuit. Ego a Doctiſſimo & Clariſſimo
,, Viro Scipione Marchione Maffejo (qui ſemper erit mihi cum
,, eximiis atque promeritis laudibus nominandus) anno 1726. cùm
,, Veronae Canonicum agerem, edoctus fueram, Vercellis ex-
,, tare Codicem Evangeliarium tantae vetuſtatis, ut Veronenſem
,, noſtrum (quem tunc in Aedibus Capitularibus a me primùm
,, exſcriptum, uſque ad annum 1732. quo Romam veni, ſemper
,, domi ſocium, & tamquam contubernalem habui, quoniam ab
,, Ampliſſimo Capitulo Illuſtriſſimorum ac Reverendiſſimorum
,, Canonicorum mihi ſoli facultas facta fuerat illum edendi, ut in
,, Actis Capitularibus legitur) ex tenuiſſimis membranis purpurâ

,, tin-

„ tinctis, & aureis argenteiſque characteribus exaratis confectum,
„ exſuperaret. Quare anno inſequenti 1727. Epiſtolaribus officiis
„ exorare coepi Illuſtriſſimum atque Cl. Virum Franciſcum Hieronymum Ruggerium Canonicum praeſtantiſſimum Sanctae Vercellenſis Eccleſiae, ut omnem operam, ſollicitudinem, curam in eo exſcribendo Codice ponere dignaretur: qui ſtatim ultrò ingenti labori ſe obtulit, ac literis humanitate pleniſſimis, re jam confectâ, ad me iſta conſcripſit.

„ Joſepho Blanchino Veronenſi
„ Franciſcus Hieronymus Ruggerius Novarienſis S. T. D.
„ & in Baſilica Cathedrali Euſebiana Canonicus S. P. D.

„ VEtuſtiſſimum tandem Codicem Evangeliarium Euſebianum jam multis ab hinc annis a plurimis Sapientiſſimis Viris, ac Eruditiſſimis Scriptoribus conquiſitum, vota tua, Vir Clariſſime, non ſolùm ut antiquitatem ſpectares, verùm etiam ut magìs ad confirmationem Catholicae Fidei, quae Sacroſanctis Evangeliis, tamquam firmiſſimis propugnaculis roboratur, veritatem erueres, conſequi potuerunt.

„ Prodit enim in lucem, illumque tenes diuturnâ temporum ſerie nullâ oblivione deletum, ſed cautè, ſtudioſè, ac ſedulâ diligentiâ aſſervatum, nunc vero D. O. M. opitulante, & Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo D. D. Carolo Vincentio Ferrerio Ord. Praed. hujuſque Sanctae Vercellen. Eccleſiae Epiſcopo vigilantiſſimo ſic diſponente, ac Dignitatibus, & Canonicis Euſebiani Capituli annuentibus, meâ ope, ac labore a ſuo Exemplari fideliter, & ad amuſſim tranſcriptum.

„ De verâ poſſeſſione hujus Sacri Voluminis, praeter antiquam, conſtantiſſimamque venerationem, quam ſemper erga illud Capitulum, & Eccleſia profeſſa eſt, illud aſſervando in ipſomet ſacro Reliquiarum Depoſito, ubi Sanctorum Prophetarum, Apoſtolorum, plurimorumque Martyrum Oſſa cuſtodiuntur; extant & documenta plurima certae fidei, monimentiſque publicis conſignata, ex quibus ediſcimus, librum quatuor

„ Evan-

„ Evangeliorum a Magno Sancto Patre noſtro Epiſcopo & Martyre Euſebio ex Graecanicis literis ante Divum Hieronymum fuiſſe redditum. Hac ipſa igitur facultate Graecarum literarum lectionis atque ſcriptionis eâ perfectione Romae potiebatur, ut Julius Pontifex Marci ſucceſſor, qui Euſebium ſacro Presbyterali caractere inſignivit, exiſtimarit illum non ſibi ſoli vacare, ſed etiam Chriſtianae Reipublicae prodeſſe debere, ut habetur ex antiquiſſimis tabulis hujus Vercellenſis Eccleſiae, in quibus eundem Euſebium Interpretem Sacrorum Voluminum deſignatum a Summo Pontifice fuiſſe traditur. Graecas enim literas non alio propoſito ſibi fine didicerat, quàm ut perfectiùs Sacrarum Literarum arcana dignoſceret.

„ Quo tempore, quove loco, quem ad finem hoc Opus inchoaverit, compoſuerit, atque perfecerit, non me Auctore, ſed praeſtantiſſimi hujus Vercellenſis Eccleſiae olim Epiſcopi Joannis Stephani Ferrerii teſtimonio ex Vita Sancti P. N. Martyris & Epiſcopi Euſebii ab eo ſcripta mutuato patefacere contendam. Legitur itaque fol. 16. illius Vitae.

„ *Neque verò haec, aliaque dum ageret, ſui obliviſcebatur: immo conſtans traditio eſt, eum non modò ad occaſionem tollendam, qua populus Arianâ invidiâ ſeductus in eum peccaret; ſed etiam ardenti ſtudio vacandi ſibi, & Deo, ſeceſſiſſe in Montes Oupae Bugellenſis Ditionis, & ultra Padum ad Caſtrum Credonenſe tunc Dioeceſis Vercellenſis, diverſis temporibus; ut qui tot curis juvandorum aliorum gratiâ diſtinebatur, haberet ubi ſubinde ſe colligeret, ac ſpiritum e coelo attraheret, majoreſque ei ad Dei gloriam provehendam vires ſuppeterent.*

„ *Legitur etiam in eadem Vita manuſcripta Euſebium, dum in his locis religioſis, & ſanctis moraretur, ſuâ ipſius manu quatuor Evangelia ſcripſiſſe, quae ad haec uſque tempora conſervantur: quae quidem Sancta Evangelia totius poſtea vitae tempore ipſius fuiſſe caros comites in ejus Vita narratum habemus. Siquidem eorum temporum Chriſtiani homines & perpetuò apud ſe habere, ac circumgeſtare conſueverant, quemadmodum a mulieribus etiam factitatum novimus: id quod de S. Caecilia in primis ſatìs conſtat,*

„ *quae*

„ *quae Chriſti Evangelia, uti ejus narrat Hiſtoria, ſemper in pecto-*
„ *re geſtabat ſuo. Immo idipſum nonnullis ad mortem uſque familia-*
„ *re fuit, uti Sancto Barnabae, ad cujus defuncti pectus repertum*
„ *eſt S. Matthaei Evangelium ipſius Barnabae manu deſcriptum; quo*
„ *tempore in Inſula Cypro, Zenone imperante, Corpus ejus inventum*
„ *eſt. Quamobrem piè credendum exiſtimo, librum hunc in promptu*
„ *ſemper habuiſſe Euſebium, non ſecus atque Barnabam, & Caeci-*
„ *liam, ſui illum theſauri inſtar duxiſſe, & ex hoc omnium doctri-*
„ *narum, virtutum, rerumque mirabilium, tamquam ex Oceano tum*
„ *venae, tum fontes effluxerunt, quorum ſanctos latices cùm Euſe-*
„ *bius ebibiſſet, daemonia, daemoniorumque miniſtros ejecit, vitio-*
„ *rum, ſchiſmatum, haereſum tetra monſtra ex Eccleſia ejecit, ex-*
„ *terminavitque. Neque enim fructus expectari poterant alii, aut ab*
„ *inſtrumenti perfectione, atque praeſtantia, aut a ſumma dexteri-*
„ *tate, peritiaque Artificis, qui inſtrumento ejuſmodi uſus eſt. Do-*
„ *lendum ſanè eſt theſaurum hunc noſtrum injuriâ temporis aliquâ*
„ *ex parte conſumptum fuiſſe; tametſi ad eum illaeſum conſervan-*
„ *dum, & integrum, non ſemel adhibita fuerit diligentia, vel a*
„ *magnis Regibus, uti a Berengario, qui Librum argenteis laminis*
„ *contegendum curavit; quod ſatìs adhuc praedicant illa Carmina,*
„ *quae ſub Sanctiſſimi Euſebii effigie leguntur; ea verò ſunt:*

„ Praeſul hic Euſebius ſcripſit, ſolvitque vetuſtas;
„ Rex Berengarius ſed reparavit idem.
„ Argentum poſtquam fulvo depromſit, & auro,
„ Eccleſiae, Praeſul, optulit ipſe tuae.

„ *Nec minus doleo, quòd videam folium unum illius Sacri Codicis*
„ *religioſis quibuſdam perſonis reliquiae loco datum, quemadmodum*
„ *in infraſcripta Syngrapha Auguſtini Ferrerii, eâ tempeſtate Ver-*
„ *cellenſis Epiſcopi, ac Patruelis Avi mei, legere eſt: quem nos Co-*
„ *dicem perindè deſcribendum curabimus, priuſquam, aut illum diu-*
„ *turnitas temporis pejus efficiat, aut ulla illius pars alia deperda-*
„ *tur: ut ſaltem firmiſſimi teſtimonii loco extet Verſionis, ipſâ, qua*
„ *hodie utimur S. Hieronymi Verſione antiquioris. Syngrapha au-*
„ *tem illa ſic ſe habet:*

„ Auguſtinus Ferrerius, Dei, & Apoſtolicae Sedis gratia
„ Epiſcopus Vercellen. & Comes. Univerſis Chriſti fidelibus,
„ praeſentes noſtras inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam.
„ Noveritis quod nuper ad Eccleſiam S. Euſebii Vercellen. devo-
„ tionis gratiâ declinantes Mag. D. Jacobus Circeſten. & Petrus
„ Ebult de Salus Dioec. Lauſanen. ad M. Principem noſtrum Ex-
„ cellentiſs. Carolum Sabaudiae Ducem pro univerſali Helvetio-
„ rum Conventu Oratores, ſignificantes nobis, & Venerando Cap.
„ noſtro, Eccleſiam ſub hujus Sancti Euſebii invocatione in fini-
„ bus Loci Salus, loco dicto Nieuchen Lauſanen. Dioeceſis con-
„ ſiſtere, quam homines & incolae loci praedicti ſummâ vene-
„ rantur devotione, & reverentiâ, ob ſublime Sanctiſſimi Epi-
„ ſcopi & Martyris Euſebii meritum. Quare ſi quid de illius Ve-
„ ſte, geſtis, ex reliquiis apud plebem praedictam haberetur,
„ eadem plurimùm in Domino gratularetur. Nos ideo (ut par
„ eſt) cupientes & praedictum Divum Euſebium Patronum no-
„ ſtrum devotis laudibus ubique locorum, & terrarum ſummâ
„ veneratione extolli, juſtamque eorum Oratorum devotionem
„ conſiderantes, necnon praelibati illius Principis noſtri Ducis
„ ſingularem erga praefatos Oratores benevolentiam, qui nobis,
„ & Capitulo noſtro pro eis affectuosè ſcripſit, & Magnificum
„ D. Stephanum, Motae in Sabaudia Dominum, & ſuae Excel-
„ lentiae Capitaneum deſtinaverit. Quoniam hujuſmodi poſtula-
„ tio ad Beati Euſebii cedit, populique praefati devotionem, eiſ-
„ dem Oratoribus (accedente Venerandi Capituli conſenſu) par-
„ tem lapidis, quo Beatus Euſebius lapidatus extitit, & morti tra-
„ ditus; foliumque unum Evangeliorum, ante centum quadra-
„ ginta quatuor ſuper mille annos, praefati S. Euſebii manu pro-
„ pria conſcriptum, & a ſacrario Eccleſiae praedictae, cum qua
„ decuit reverentiâ extractum, elargiti fuimus: ex quo Evange
„ liorum libro plurima miracula viſa ſunt, quae nulla poterunt
„ terunt tergiverſatione celari, & quae omnia apud Eccleſiam
„ noſtram praedictam ſummâ veneratione aſſervata, tranſmitti-
„ mus, parique veneratione penès eos obſervari affectamus. Has
„ autem noſtras per Secretarium noſtrumque juſſum ſubſignari,
„ &

„ & ſigilli noſtri majoris appoſitione roborantes, in teſtimonium „ praemiſſorum conceſſimus. Datum Vercellis ex Palatio Epiſco„ pali noſtro, die XXIV. Januarii MDXV. praeſentibus ibidem „ Andrea Ferrerio, Patruo, & Vicario noſtro Generali, & Lu„ dovico de Gromis Canonico Vercellenſi, teſtibus ad praemiſſa „ vocatis, & rogatis.

„ Joannes de Ferreriis.

„ *Per hunc denique Librum praecipuam quandam ejuſdem San„ ctitatem aliquando ſignificavit Deus, uti etiam ipſa ſyngrapha ſu„ perior innuit, ſaepiùs enim evenit, ut qui illo tacto pejerarunt, ii „ aut ſtatim excoecati, aut alio membro capti ſint. Sed de hoc San„ cto, nobiſque cariſſimo Codice ſatìs.*

„ Hucuſque idem memoratus Epiſcopus Jo: Stephanus Fer„ rerius, qui quamvis in ſua praecellenti hujus Sacri Codicis de„ ſcriptione eum poſteritati, aeternaeque memoriae dandum pro„ miſerit his verbis: *quem nos proinde deſcribendum curabimus*; „ morte tamen praereptus anno 1610. antequam Vita S. Euſebii „ ab ipſo collecta in lucem ederetur, alteri Ferrerio Epiſcopo, & „ Sac. Cardinalatus Purpurâ inſignito, atque ad ſpectabilem ve„ nerandumque Euſebianum Codicem in praeſentem memoriam „ revocandum incomparabili ſollicitudine praedito, ſupremo di„ ctante providentiae Numine, hiſce temporibus curam reliquit.

„ Aliud quoque documentum habetur in Sermone Athonis „ Epiſcopi Vercellenſis anno 752. qui inter alios ad laudem San„ cti Martyris Epiſcopi Euſebii a Sanctis Patribus, & Epiſcopis „ Ambroſio, Maximo, & Gregorio Turonenſi compoſitos re„ cenſetur. Circa medium namque Serm. illius, ubi fit mentio „ de Concilio coacto Mediolani anno 355. (juxta adnotationem „ Cardinalis Baronii) a Conſtantio Imperatore perniciosiſſimo Ca„ tholicae Fidei hoſte, atque everſore, ſic legitur: *Ad quem „ Beatus Euſebius ire diſtulerat, quem quid agendum minimè latue„ rat*. Deinde ſubdit: *Nec ſe potuit continere, quin ad memora„ tum Concilium iret pro Fide contendere, Sancti Evangelii cara „ deportans pignora*. Idem teſtatur Venerabilis Jo: Franciſcus Bo„ nomius hujus Eccleſiae Epiſcopus anno 1554. qui inter caetera,

„ ad apparatum excogitatae Translationis Sacri Corporis Sancti
„ Martyris Euſebii pertinentia, Elogia, ex Sanctorum PP. tum
„ Graecorum, tum Latinorum ſcriptis excerpta, quae in Baſilica
„ Euſebiana, Atrio Epiſcopali, Arcubus, Trophaeis, Viiſque
„ publicis erant apponenda, illud quoque Athonis extabat. Ha-
„ betur demum in Vita Sancti Euſebii typis edita n. XIV. fol. 138.
„ *Sacroſancta Evangelia ſua ipſius manu deſcripta, fidiſſimorum co-*
„ *mitum loco, aſſiduè apud ſe habuit: quibus uſus, vitiorum, ſchiſ-*
„ *matum, haereſumque tetra monſtra undique exterminavit.*

„ Sed quid immoror in perquirendis probationibus, cùm tu „ compertum habeas, quanta ſit hujus Sacri Codicis dignitas, „ quanta ejus conditoris certitudo, quanta inſuper fides ei haben- „ da. Hoc duce Novatorum errores eludere conare; ut, ſicut „ oriente Sole quidquid de nocturna umbrarum caligine reliquum „ eſt, cito dilabitur; ita, hoc Sacro Volumine in lucem edito, „ & non ſolum in literaria Republica, ſed etiam in toto terrarum „ Orbe diffuſo, omnium haereticorum oculi coecutientes Catho- „ licae Fidei agnitione illuſtrentur.

„ Faxit Deus, ut mea etiam ad majorem Orthodoxae Fidei „ confirmationem, ad majus gloriae incrementum S. P. N. Mar- „ tyris Epiſcopi Euſebii, eique famulantis Capituli, ad dignam „ demum tui nominis commendationem compleantur vota. Ac- „ cipe igitur, praeclariſſime, ac ſemper mihi gratiſſime Blanchi- „ ne, quidquid imbecillitas mea ſeligere potuit, quod omne tibi „ jucundiſſimum fore confido. Vive diu, zelando Fidei verita- „ tem; ac in arduo maximoque, quod ſuſcepiſti, Opere, te Deus „ incolumem ſervet, ac demum ad feliciſſimum ſalutis aeternae „ locum perducat. Vale. Vercellis.

„ Ego in Illuſtriſſimi Can. Ruggerii laudibus feram, ſi Diſ- „ ſertationem quoque texuerit ſingularem; atque ea monumenta „ ab omni antiquitate petita evulgarit, quae (ut ipſe in Epiſtola „ videtur innuere) in Archivo inſignis Capituli ad hanc diem uſ- „ que aſſervantur; ut eorum ope Sanctiſſimo Epiſcopo, & Mar- „ tyri Euſebio laudatum Codicem Evangeliorum aſſerat, vindi- „ cetque, magno cum foenore noſtrarum *Vindiciarum*. Id, ut

„ velit




+PRAESVL HIC EVSEBIVS SCRIP
SIT SOLVITQ, VETVSTAS: REX BE
RENGARIVS SED REPARAVIT IDEM
EVSEB
EPS.
ARGENTVM POSTQVAM FVLVO
DEPROMPSIT ET AVRO: ECCLAE
PRAESVL OPTVLIT IPSE TVAE

„ velit efficere, etiam atque etiam rogo; promittoque ejus Opu-
„ ſculum in meis Prolegomenis Evangeliorum in lucem editurum;
„ ſicut ex literis ad eum ſcriptis id me ſummopere velle proſpe-
„ xit. Quantam verò antiquiſſimae traditioni Vercellenſis Eccle-
„ ſiae fidem, Praeſul Illuſtriſſime, nos habere conveniat, edo-
„ cent Acta illa S. Euſebii, quae Ferdinandus Ughellius publici
„ juris fecit Tom. IV. *Italiae Sacrae* col. 1030. primae Edit. *ex*
„ *Codice* (ut inquit) *vetuſtiſſimo Vitae Sanctorum Monaſterii No-*
„ *nantulani*. In iis namque ita legitur: *Pugnabat autem* (ſcilicet
„ S. Euſebius) *contra immaniſſimas beſtias Arriomanitas, quae eum*
„ *expulerunt de Civitate, perſecutione populi contra eum excitatâ;*
„ *at ille, ne populus in eum peccaret, quos poſtea delectabatur ha-*
„ *bere filios, ſciens ſcriptum:* Si vos perſecuti fuerint in una Civi-
„ tate, fugite in aliam, *ultra flumen Padum tranſiit, & ad Ca-*
„ *ſtrum, quod dicitur Credonenſium, perveniens, ibi tribus menſibus*
„ *degens B. Dei Genitricis conſtruxit Oratorium; ubi etiam adhuc*
„ *longiùs degens EVANGELIUM Chriſti propriâ manu SCRIPSIT;*
„ *cujus miraculum in eodem Codice quatuor Evangeliorum, non ſo-*
„ *lùm verbis Chriſti, ſed & ejuſdem Patris tanta virtus coruſcat,*
„ *ut, ſi aliquis ſeductus a Diabolo falſum ſuper eum Sacramentum*
„ *fecerit, citiùs ſuper eum plaga corporis oſtendatur, ita ut, aut*
„ *morte mulctetur, aut, perditis oculis, ſpirituale & corporale lu-*
„ *men amittat, aut ariditate membrorum mancus, vel claudus effi-*
„ *ciatur, aut invaſione daemonum penè uſque ad exitum dilanietur.*
„ Hiſce laudationibus, huicque teſti Berengarius accedit, filius
„ Eberhardi Ducis Forojulienſis, qui admodum juvenis in Re-
„ gem Italiae anno 888. fuit adlectus, ut conſtat ex ſigillis cereis
„ Diplomatum, quae ipſe dedit primis ſui Regni annis. Ibi enim
„ effigies cernitur hominis imberbis, vultumque juvenilem prae-
„ ferentis, qualem non videas in ſubſequentium annorum Diplo-
„ matibus. Guglielmus Godefridus Leibnitius, qui Editionem or-
„ navit, ac brevem Chronologiam antiqui *Carminis Panegyrici de*
„ *laudibus Berengarii Auguſti* primùm ab Hadriano Valeſio Chri-
„ ſtianiſſimi Regis Galliae Hiſtoriographo evulgati, a menſe Majo
„ anni 887. exorditur Regnum Berengarii in Italia. Sed id mi-

„ nimè

„ nimè ſolidis fundamentis ; ut ait Doctiſſimus Abbas Ludovicus
„ Muratorius Parte I. Tomi II. *Rerum Italicarum* pag. 273. cui ante
„ oculos obverſabantur duo Diplomata Caroli Craſſi Imperatoris
„ data anno 887. *III. Idus Auguſti in Curte Regia Luſtanoa*, ſeu *Ju-*
„ *ſtonoa* pro quibuſdam praediis Angelbergae olim Imperatricis
„ in Italia morantis ; ex quibus liquet nondum eo anno locum
„ fuiſſe Berengario invadendi Regni , quod ſolùm poſt mortem
„ Caroli ſubſequenti anno 888. factum eſt . Sunt & alia Diplo-
„ mata nondum edita ejuſdem Berengarii , ex quibus idem evin-
„ citur . Unum datum eſt *anno* 889. *IV. Idus Septembris* , *anno Re-*
„ *gni II.* Alterum *anno* 894. *IV. Nonas Septembris* , *anno Regni VII.*
„ ut alia omittantur . Aetate verò Berengarii ſic conſtabilitâ, na-
„ ſcitur mihi nunc aliud probationis genus, in quo ferè conquie-
„ ſcam , ne in adhuc immaturam meſſem videar falcem immit-
„ tere . Sed quoniam ipſum explicari non poteſt , niſi prolatis
„ Tabulis tegumentorum Codicis Euſebiani a Berengario auro ar-
„ gentoque contecti , atque Eccleſiae Principi Vercellarum ab
„ ipſo reverenter oblati , ipſae Tabulae proferentur „ ( *eas dat*
*Blanchinus pag. CCCLXXVII. & ſeq. nos verò hoc loco exhibemus* ) „
„ ex quibus licebit conjicere , eum , poſtquam Epiſcopi Vercel-
„ lenſis patrimonium ſatìs amplum diripuerat , tactum dolore
„ cordis intrinſecùs , Euſebianum Autographum cum foenore
„ reddidiſſe. Rem narro ex Hadriano Valeſio, qui Cap. IV. Ad-
„ notationum in laudatum Anonymi Panegyricum , inquit: *An-*
„ *no* 886. *inter Berengarium Forojulienſem Ducem , & Liutvvardum*
„ *Epiſcopum Vercellenſem , Caroli Auguſti a Secretis Conſiliarium*
„ *unicum , orta diſcordia eſt . Berengarius per vim , aut per inſidias*
„ *Vercellas ingreſſus , multas res Epiſcopi pro voluntate corripuit ,*
„ *ac Urbe exceſſit ſpoliis onuſtus , nemine prohibente : ſed inſequenti*
„ *anno* 887. *ad Imperatorem venit , & magnis muneribus contume-*
„ *meliam , ac injuriam Epiſcopo factam luit , inimicoque ſatisfecit ,*
„ *quemadmodum in Annalibus Bertinianis invenitur* . Anno enim
„ 886. ( Poſt Paſcha ( inquiunt ) habito generali Papiae Conven-
„ tu , Imperator per Burgundiam obviam Nordmannos in Gal-
„ liam , qui tunc Pariſiis erant, uſque pervenit. Occiſo ibi Hen-

„ rico



„ r
„ l
„ c
„ c
„ *ſ*
„ i
;, f
„ (
„ r
„ c
„ g
„ u
„ ſ
„ ſ
„ t
„ T
„ g
„ i]
*Bla*
„ e
„ le
„ c
„ r
„ n
„ *n*
„ *E*
„ *u*
„ *V*
„ *a*
„ *a*
„ *m*
„ *q*
„ 8
„ tu
„ lia

„ rico

„ rico Marchenſi Francorum, qui id tempus Niuſtriam tenuit,
„ Rex parùm proſperè actis rebus, revertitur in ſua. Diſcordia
„ inter Berengarium cognatum Regis, qui Foro-Julienſe fruitur,
„ & Liutvvardum Epiſcopum oritur. Propterea Berengarius mittens Vercellinam Urbem expoliare, ibique veniens, multis rebus Epiſcopi abreptis, prout voluit, reverſus eſt. Et an. 887.
„ Imperator Eliſaica magna infirmitate adgravatur. Poſtea parum
„ convaleſcens ad Alamanniam proficiſcitur, vergens Curtem Podonam, pro dolore capitis inciſionem accepit. Tranſacto die
„ Sancto Paſchae, habitum eſt placitum Vveibilinga. Ibi inter
„ alia Berengarius ad fidelitatem Caeſaris pervenit, magniſque
„ muneribus contumeliam, quam in Liutvvardo priori anno commiſerat, componendo abſolvit.)

„ Igitur ex Epigrammate in tegumentis Codicis Vercellenſis
„ expreſſo tenemus, ipſum Codicem a S. Euſebio fuiſſe exaratum;
„ quod teſtimonium, quoniam a Berengario proficiſcitur, ad nonum Chriſti ſaeculum eſt referendum. Antequam verò tollatur manus e tabula, unicum ſaltem laudati Codicis locum recitemus, quem Ariani eo tempore, quo Auxentius Mediolanenſem Eccleſiam armis, exercituque occupaverat; (Valente, &
„ Urſacio Eccleſiam Sirmienſem incurſantibus) de Sacro Joannis
„ Evangelio puniendâ manu ſuſtulerunt (Cap. 3. v. 6.) Hoc autem flagitium quoniam deprehenſum fuit circa annum reparatae
„ ſalutis 357. miram Euſebiani Codicis antiquitatem oſtendit, atque inolitae traditioni addit maximum pondus authoritatis. Legebatur nempe in laudato Capite 3. Evangelii ſecundum Joannem v. 6. *Quod natum eſt de carne, caro eſt, quia de carne natum eſt; & quod natum eſt de Spiritu, Spiritus eſt, quia Deus Spiritus eſt, & ex Deo natus eſt*; ut adhuc in Vercellenſi Codice habetur. Sed impii homines ea verba, *quoniam Deus Spiritus eſt*, dolo ac fraude e ſacris Voluminibus eraſere; ut diſcimus a Sancto Ambroſio, qui Arianos ſic compellat in Libro
„ de Spiritu Sancto: *Nec ſolum hoc loco, evidenter Sancti Spiritus θεότητα, hoc eſt Deitatem Scriptura teſtatur; ſed etiam ipſe Dominus dixit in Evangelio*: Quoniam Deus Spiritus eſt. *Quem lo-*

„ *cum*

„ *cum ita expreſsè, Ariani, teſtificamini eſſe de Spiritu, ut eum e*
„ *veſtris Codicibus auferatis: atque utinam de veſtris, & non etiam*
„ *de Eccleſiae Codicibus tolleretis*. Delebant ergo eum locum non
„ modo ex ſuis, ſed etiam ex Eccleſiae Codicibus Ariani. Atque
„ illud facinus ad exitum perduxere; quia plurimi ex ipſis, frau-
„ dulenter diſſimulata haereſi, ſeſe ab Eccleſiae Catholicae com-
„ munione ſubducere perdiù refugerunt. Sed a vigilantiſſimis Ec-
„ cleſiae Paſtoribus haec Arianorum perfidia detecta eſt, ut nar-
„ rat idem Ambroſius, qui etiam tempus aſſignat. *Eo enim tem-*
„ *pore* (inquit) *quo impiae infidelitatis Auxentius Mediolanenſem*
„ *Eccleſiam armis exercituque occupaverat, vel a Valente, atque*
„ *Urſatio, nutantibus Sacerdotibus ſuis, incurſabatur Eccleſia Sir-*
„ *mienſis, falſum hoc & ſacrilegium veſtrum in Eccleſiaſticis Codi-*
„ *cibus deprehenſum eſt. Et fortaſſe hoc etiam in Oriente feciſtis.*
„ Affirmat tamen Sanctiſſimus Mediolanenſis Antiſtes tanto Aria-
„ norum ſcelere Fidem Eccleſiae nec deleri, nec labefactari po-
„ tuiſſe. *Et literas quidem* (ait) *potuiſtis abolere, ſed Fidem non*
„ *potuiſtis auferre. Plus illa vos litura prodebat, plus vos illa li-*
„ *tura damnabat: neque enim vos poteratis oblinire veritatem, ſed*
„ *illa litura de libro vitae nomina veſtra radebat. Et verò* (inquit
„ Germonius Lib. de veteribus Haereticis Eccleſiaſticorum Codi-
„ cum corruptoribus pag. 116.) *locum illum*, quoniam Deus Spi-
„ ritus eſt, *non extare ampliùs in Capite tertio Evangelii ſecundum*
„ *Joannem, cuique legenti manifeſtum eſt: illic autem ſaltem apud*
„ *Latinos extitiſſe ante Arianorum tempora nemini dubium eſſe po-*
„ *teſt. Nam Tertullianus in Libro de Carne Chriſti, quem Romae*
„ *ſcripſit adversùs Marcionem, Apellem, & Valentinum, quorum*
„ *primus negabat Chriſtum veram carnem habuiſſe; Secundus conce-*
„ *debat veram carnem habuiſſe, ſed verè natum eſſe negabat; Tertius*
„ *cùm fateretur & veram carnem habuiſſe, & verè natum eſſe, aje-*
„ *bat illum natum eſſe per Virginem, atque in Virgine, at non ex*
„ *Virgine; adversùs iſtos Haereticos, inquam, Tertullianus* (de
„ Carne Chriſti Cap. 18.) *hunc ipſum Joannis locum citat*. Ipſe
„ Dominus, *inquit*, ſententialiter & definitivè pronunciavit, *quod*
„ *in carne natum eſt, caro eſt, quia ex carne natum eſt*. Sed ſi de
„ ho-

„ homine tantummodo dixit, non & de ſemetipſo: planè negat
„ Chriſtum, & ita defende non & ipſum competiſſe. Atquin
„ ſubjicit, *& quod de Spiritu natum eſt, Spiritus eſt, quia Deus*
„ *Spiritus eſt, & de Deo natus eſt*. Hoc utique vel eo magìs in
„ ipſum tendit, ſi & in credentes ejus. Si ergo & hoc ad ipſum,
„ cur non & illud ſupra &c. *Neque Romae tantùm, aut ſolus iſta*
„ *legit Tertullianus in Evangelio Joannis, ſed & in Africa Cypria-*
„ *nus, & cum illo plurimi Epiſcopi in Synodo, quae Carthagine*
„ *anno 256. celebrata eſt, & in qua agitur*, de baptizandis haere-
„ ticis.

„ Noviſſimus Editor S. Ambroſii ad hunc Joannis locum,
„ quem ex laudato Eccleſiae Doctore ſuperiùs recitavi, haec pu-
„ tavit eſſe obſervanda. *Sequentes voces* (inquit Tom. II. pag. 677.)
„ quia de carne natum eſt, *non minùs abſunt ab omnibus omnium*
„ *idiomatum Bibliis quàm illae, de quibus hìc diſputatur*, quoniam
„ Deus Spiritus eſt. *Atqui, ut dubitare nequaquam licet, quin hae*
„ *ultimae ab Haereticis fuerint ex albo Sacrarum paginarum eraſae,*
„ *ita ſatìs mirum eſt, eaſdem nuſquam in proprium locum fuiſſe re-*
„ *ſtitutas*. Sed haec fortaſſe cauſa eſt, cur Eccleſia non reſtitue-
„ rit locum illum; quia non ſatìs exploratum habebat, utrùm
„ verè in antiquiſſimis, & primigeniis Evangelii Exemplaribus
„ extitiſſet. Quoniam verò properavi Euſebiani Codicis formam
„ in lucem edere, Te, Auditor Rotae Sapientiſſime, ſcire volo,
„ me ab amiciſſimo Viro Jacobo Vallarſio (de quo non ſemel ho-
„ noris cauſa mentionem feci), cùm circa annum 1730. Parmae
„ ageret, impetraſſe, ut meis ſumptibus Vercellas proficiſcere-
„ tur ad eum luſtrandum Codicem, & characterum ſpecimen
„ effingendum. Ipſe autem eâ qua pollet humanitate iter illicò
„ arripuit; ſed quoniam in tranſcurſu bis tantùm, & per tran-
„ ſennam ei Codicem videre licuit, ſemper laudandus Eminen-
„ tiſſimus ac Reverendiſſimus Princeps Carolus Vincentius Car-
„ dinalis Ferrerius a ſummis Epiſcopii curis ad hoc etiam incom-
„ parabilis clementiae munus exhibendum animum traduxit; at-
„ que unà cum Evangeliario ex Originali tranſcripto, mecum
„ communicavit unius paginae ſpecimen literarum in folio papy-

„ raceo, oleo papaveris illito ( ita enim pellucida charta evadit ;
„ & velut in ſpeculo ſubjecta Codicis lineamenta, formamque
„ Scripturae fideliter repraeſentat) ad cujus ſimilitudinem ego ſe-
„ quentem Tabulam ex aere incidi, atque affabrè elaborari cu-
„ ravi &c.

Profert mox Clariſſimus Blanchinus Specimen ipſum, quod hic reperies Lector optime, & delineationem integumentorum Sacri Codicis Euſebiani, ea omnia cum Epiſtola, cujus partem exſcripſimus, mittens Doctiſſimo, atque Clariſſimo Praeſuli Joſepho Mariae S. R. I. Comiti de Thuun, & Hochenſtein, Sacrae Rotae Romanae Auditori, & Auguſtiſſimi Caroli VI. Romanorum Imperatoris rebus gerendis apud Apoſtolicam Sedem Curatori Sapientiſſimo. Pauca praeſtantiſſimi Viri, cujus admiramur eruditionem, verbis nos quoque addenda duximus, quae operae pretium exiſtimamus praemonere Lectores, ut hoc pacto Sacratiſſimi hujus Voluminis formam, vetuſtatemque faciliùs agnoſcant. Codex hic Venerabilis tenui conſtat membranâ, quae quidem nullo fucata colore candidiſſima eſt. Quadratae ferè eſt figurae adeo ut parem habeat longitudinem & latitudinem, quod haud contemnendum eſt antiquitatis argumentum apud eos, qui in hujuſmodi provincia non ſunt hoſpites. Notae omnes ex earum genere ſunt, quas majuſculas appellare conſueſcimus. In columnas geminas ſingulae paginae diſpertiuntur, nullis additis interpunctionis ſignis, vel Capitum, ac Verſiculorum, ut hodie in more poſitum eſt, diſtinctione. Quid autem importet vetuſtatis interpunctionem in hoc Codice deſiderari docet nos Burcardus Gotthelfius Struvius in Criteriis Manuſcriptorum, quod Opuſculum Auctor praefixit Collectaneis ſuis Manuſcriptorum editis Jenae anno MDCCXIII. in 8. ibi enim §. XVI. haec leguntur: *Diſtinctiones autem, quibus nunc utimur, ſaeculo demum quinto fuerae uſitatae.: ſiquidem novum ſcribendi genus adpellat Hieronymus praefatione in translat. Eſaiae,* dum ait: „ Nemo, cùm Pro-
„ phetas verſibus viderit eſſe deſcriptos, metro eos exiſtimet apud
„ Hebraeos ligari, & aliquid ſimile habere de Pſalmis, & Ope-
„ ribus Salomonis: ſed quod in Demoſthene & Tullio ſolet fieri,

„ ut

lucanum

Mulierabsco
ditinfarina
donecferme
taretur
Etcircuibat
perciuita
tesetuicos
docenshie
rosolymis
dixitautem
quidamilli
dmesipau
cisuntqui
saluifutu
risunt
Quidixitadil
losintrate
perangus
tumostium
quoniammu
tidicouobis
quaerent
necpoterunt
introire

cumautem
intrauerit
paterfami
liasetadclu
seritostium
etincipietis
forisstare
dicentesdme
aperinobis
etrespon
densdicet
nesciouos
undesitis
Tuncincipie
tisdicere
manduca
uimuscora
teetbibimus
etinplateis
nostrisdo
cuistietdi
cetuobisnes
ciouosunde
sitisdiscedi

„ ut per cola ſcribantur & commata, qui utique proſa, & non „ verſibus conſcripſerunt: Nos quoque utilitati legentium provi- „ dendo, interpretationem novam novo ſcribendi genere diſtin- „ ximus. „ *Quae autem ratio Hieronymum ad diſtinguendum ita moverit, docet Caſſiodorus de divinis lectionibus Cap. XII.* „ Memi- „ niſſe autem debemus, *ait*, memoratum Hieronymum omnem „ translationem ſuam in auctoritate divina propter ſimplicitatem „ fratrum, colis & commatibus ordinaſſe, ut qui diſtinctiones „ ſaecularium literarum comprehendere minimè potuerunt, hoc „ remedio ſuffulti, inculpabiliter pronunciarent ſacratiſſimas le- „ ctiones. „

At verò Sacrorum Bibliorum diviſio in Capita, & Verſiculos adeo abeſt a Codicis noſtri aetate, ut ad XIII. tantùm ſaeculum pertineat, illam etenim primus adinvenit Stephanus Langthonus Anglus S. R. E. Cardinalis, qui ab Innocentio Papa III. anno Chriſti Domini MCCXII. ad eam dignitatem evectus eſt. Nam Georgius Joſeph Eggs in Opere ſuo, cui titulus *Purpura Docta* Lib. I. num. LXI. haec de Stephano ſcribit: *Primus Sacrorum Auctorum totam Bibliam in Capitula, & numeros diſtinxit: ordinemque ab eo conſtitutum omnes Eccleſiae, quae uſquam jam inde ab eo tempore fuerunt, ſecutae ſunt.*

Forma etiam majuſcula Literarum haud modicum addit pro Codicis noſtri antiquitate aſſerenda ſuffragium. Etenim quemadmodum jam citatus Struvius monet §. X. *In monumentis & Codicibus ſuis Romani utebantur literis grandioribus. Quadratae quidem, quarum mentionem facit Petronius Satyrico p. 15. erant antiquiſſimae, atque a figura, quae quadrata potiſſimum erat, ſic denominabantur, quales quadratas in nummis quandoque obſervare licet. Poſtea utebantur, in inſcriptionibus ſuis maximè, literis, quae non quidem formae quadratae erant, rectis tamen lineis plerumque conſtabant. Quare & hodienum adhuc quadratae adpellari ſolent. In familiari ſcribendi more potiſſimum utebantur literis rotundis, non quae in ſpherae modum obvolverentur, & a majuſculis eſſent diverſae, ſed quae ob celeriorem ſcriptionem quaſi in globulos curvarentur. Quali Scriptura Codices aliquot antiquiſſimos in Vaticana contineri teſtatur Leo Alla-*

*tius in animadverſionibus ad Inghiramium p.* 58. Et poſt pauca : *Idque in Scriptura Romana priſca advertendum , literas quo magìs ſunt inaequales & inordinatae , nec ad amuſſim compoſitae , eo ſcripturam eſſe antiquiorem .* Tum §. XIII. idem Struvius ſic ſtatuit : *Haec Scripturae Romanae genera manſere uſque ad ſaeculum V. Ubi ergo reperiuntur, arguunt antiquitatem Codicum ad mille annos , & ultra. Licet enim invento jamdudum caractere barbaro , uſque ad ſaeculum VIII. Codices cum literis majuſculis reperiantur , rariùs tamen id fit, & maximè in libris Pſalmorum , atque Evangeliorum uſuvenit . A ſaeculo octavo verò , Scriptura talis planè obſoleta , & caracteres Gothici atque Langobardici in deſcribendos Codices introducti , uncialibus & majuſculis ad initia codicum ſolum relictis .* Prolixum hoc non infimi nominis Critici Judicium conferat Lector candidus cum Specimine Notarum , quibus Codex noſter exaratus eſt , & ſtatim de illius vetuſtate feret ſententiam , praeſertim ſi adverterit hujuſmodi Notas adeo inter ſe cohaerere , ut continuatum quaſi verbum efficiant, de quo ſic praelaudatus Struvius §. XV. *Diſtinguendi quidem modos antiquiſſima tempora ignorabant; & ubi nullae nec vocum , nec periodorum extant diſtinctiones , ſumma nota eſt antiquitatis .* Adde Notas hujus Codicis haud longè abeſſe ab illis , quibus conſcriptus fuit antiquiſſimus Codex P. Vergilii Maronis a Rufio Turcio Aproniano V. C. diſtinctus & emendatus , quem in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana ſervatum , anno MDCCXLI. Florentiae Typis Mannianis edidit Petrus Franciſcus Fogginius. In eo qui aequè ac noſtrum Exemplar majuſculis literis conſtat , Codice A numquam mediam habet lineam , ſed Λ Graecum quodammodo imitatur , alioſque habet literarum ductus adeo noſtris conſonos , ut ovum ovo vix ſit ſimilius , quemadmodum utriuſque Voluminis Scripturae ſpecimen conferentibus liquidò apparebit . Et profecto cùm Apronianus , unà cum Praeſidio Conſulatum geſſerit anno Chriſti CCCCXCIV. ex Medicei Vergilii ſiglis apparet noſtri Euſebiani Autographi pretium, cujus certae aetas ſaeculo , & quod excedit vetuſtior eſt ; nam ſi ex ſuprarecitato Athonis Vercellenſis Epiſcopi teſtimonio ad Mediolanenſe Concilium anno CCCLV., prout cenſet Baronius, celebratum

tum Sanctus Pater Euſebius *Sancti Evangelii cara deportans pignora* acceſſit, (ideſt *Sacroſancta Evangelia ſua ipſius manu deſcripta, quae fidiſſimorum comitum loco aſſiduè apud ſe habuit*) pronunciandum eſt anno ſaltem CCCLIV. Codicem noſtrum fuiſſe perfectum, ut propterea Vergilium Mediceo-Laurentianum centum & quadraginta annorum ſpatio, atque aetate praecedat.

Ut igitur Autographum Euſebianum ipſum, quantùm licet, in hac noſtra Editione Lectorum oculis ſubjiceremus, id efficiendum duximus, ut pagina paginam, columna columnam, & linea lineam redderet; immo & verba ipſa non alia ratione ſeparavimus in linearum fine, & ſubſequentium initio, niſi eam religioſiſſimè normam ſecuti, quam Sanctiſſimus Praeſul in Codice ſuo primùm conſcribendo adhibuiſſe perſpicitur. Majuſculis etiam formis ſingula exprimenda curavimus, ut quilibet impreſſus Codex ad unguem primigenio reſponderet. Animus fuerat paginas ſingulas aereâ laminâ inciſas exhibere, neque deerat Mediolanenſis Vir Patricius & genere, & eruditione clariſſimus, qui aeris ad hoc adhibendi impenſas omnes libenter offerret; cum tamen hoc nullâ aliâ ratione fieri poſſet niſi Volumine ipſo Sacroſancto e Vercellenſi Baſilica Mediolanum delato, quod nullo unquam tempore continget, ob juſtiſſimam illam erga venerabile hoc Monumentum reverentiam, qua ab Euſebii Filiis cuſtoditur, idque ab eis impetrare idem eſſet ac digito coelum attingere, a propoſito deſiſtere coacti ſumus, ne etiam ob perplexitatem literarum, ſingulis columnis interpretatio eſſet addenda.

Priuſquam verò a literarum Codicis noſtri forma ad alia conſideranda gradum faciamus, illud omnino praetermittendum non duximus, diphtongos in eo conſpici ſeparatis notis expreſſas, qua de re laudatus Struvius ſic cenſet §. XVII. *Tertia antiquitatis nota conſiſtit in Orthographia, quae in antiquiſſimis Codicibus talis plerumque eſt, ut diphtongus* ae, *&* oe *non in unum coalitis literis, ſed ſeparatis ſcribatur. Qualis Scriptura antiquiſſimi eſt commatis, licet & ſimplex* e *diphtongi loco ſaepius poſitum reperiamus.*

Hactenus de literarum forma egimus, quibus Codex noſter venerabilis primo ſtatim aſpectu vetuſtatem ſuam intuentibus com-

men-

mendat; ad alia nunc gradum facimus argumenta, e quibus omnino patebit haud immerito Viros eruditione celeberrimos pronunciaſſe nullum hactenus in Italia Sacrorum Evangeliorum Exemplar prodiiſſe, quod Vercellenſi hoc ſit antiquius. Non modicum ſanè ad hoc comprobandum habet ponderis Ordo ipſe Evangeliorum, qui, ut in Autographo, a nobis quoque ſervatus eſt; nimirum ut primùm Matthaei, deinde Joannis, tertio autem loco Lucae, qui hìc Lucanus dicitur, poſtremo Marci Evangelium collocetur. Hic tamen non eſt adeo Codicis noſtri peculiaris Ordo, ut in aliis etiam vetuſtiſſimis ille ſervatus non fuerit. Philippus Garbellus V. Cl. in Epiſtola, quam Eruditiſſimo Blanchino miſit, & hic edidit in Vindiciis ſuis jam ſupra laudatis, hunc ipſum Ordinem advertit in inſigni Brixiano Codice Monaſterii Sanctae Juliae. Immo qua praeditus eſt doctrinâ multa in hanc rem congeſſit, quae nos quoque hoc loco repetere juvat ex pag. CCCXC. praedicti Operis Blanchini, & ſequentibus. Haec igitur ſcribit Garbellus doctiſſimus:

„ Supereſt nunc, ut de peculiari in Codicibus aliquot Canonis ſerie, quae in noſtro etiam ſervata eſt, tum de hujuſcemodi diverſitatis origine diſquiramus. Ricardus Simonius (Hiſt. Crit. N. T. I. 10.) expenſo Codice Cantabrigenſi, in quo Evangelia eòdem ordine, ac in noſtro efferuntur, non eſſe hunc illi peculiarem obſervat, cùm ex pervetuſto Catalogo Exemplaris Sangermanenſis, in quo Evangelia eâdem ſerie recenſentur, tum ex Druthmari loco, quem poſtea videbimus. Additque morem hunc videri a Latinis invectum, qui Graeca Exemplaria ad ſui ipſorum uſum deſcribebant. Sed Vir, caetera in rebus hiſce diù, multùmque verſatus, ampliorem etiam laudem indè conſecuturus, niſi praejudiciis indulſiſſet, non attendit, Latinos Ordinem hunc in Canonem non invecturos, niſi praeeuntibus Antigraphis, quae ſequerentur. Cur enim Lucam Marco, aut his Joannem, non verò e contra antepoſuiſſent, cum aequè ad ipſorum uſum utraque ſeries aptari commodum poſſet? Neque aliud quidquam e loco Druthmari eruere poterat, quàm in Codice Hilarii, ut tunc ferebatur, Matthaeum & Joannem caeteris praeiviſſe.

„ Mil-

„ Millius de Oeconomia iſta Canonis in ſupralaudato Exem-
„ plari ſic ſtatuit (Proleg. n. 1269.) conſilio videlicet Digeſtoris
„ hoc factum. Ad calcem enim Matthaei haec haberi: Εὐαγγέλιον
„ κατὰ Ματθαῖον ἐτελέσθη. ἄρχεται Εὐαγγέλιον κατὰ Ἰωάννην. Hinc Lucam,
„ ac tandem Marcum cum eadem ἐπιγραφῇ. Ita nempe diſpoſitis
„ Libris iſtis, ut Apoſtolorum Evangelia Apoſtolicorum Evan-
„ geliis praeponerentur; quomodo Marcum, & Lucam Apoſto-
„ lorum comites vocat Tertullianus (contra Marcion. IV. 2.)
„ Quid ſibi voluerit in allatis verbis, conſilio nempe Digeſtoris
„ ordinem illum obtinuiſſe, profectò non aſſequor. Suopte inge-
„ nio hoc feciſſe Antiquarium, neque ipſe ex allata ἐπιγραφῇ rectè
„ conjecerit, ut puto. Addebatur enim ab Exſcriptoribus nota
„ illa, ut ne Librorum ordo in compingendis poſtea Codicibus
„ Opera falleret. Et longè vetuſtior barbaro illo, ac miſerè in-
„ docto (ut ipſius verbis utar) Librario, qui Apographum illud
„ deſcripſit, erat iſta, de qua nunc agimus, Canonis ſeries; uti
„ ex Nazianzeni carmine viderat Millius ipſe (Nota ad calcem
„ Evang. Matth.) Hoc itaque voluerit, ni fallor, non ſponte,
„ aut caſu, ſed ſuperiorum temporum Antigrapha ſequutum An-
„ tiquarium, non aliter, atque in illis diſpoſita erant Evangelia,
„ in ſuo Apographo collocaſſe. Eos verò, quibus ſeries ipſa pri-
„ mitus uſurpabatur, dignitati Apoſtolorum hoc dare voluiſſe
„ (nam cur Lucas Marcum praeverterit alia eſt ratio ineunda)
„ rectè equidem conjecit Millius. Neque tamen ex adducto, nec
„ ſatìs liquido Tertulliani loco, ſed ex aliis ejuſdem Scriptoris,
„ rem, de qua agitur, illuſtrare poterat, ſi vacaſſet. Hos itaque
„ utpote inſignes, cùm ab ipſo, tùm a Viris eruditis in notis ad
„ eundem praeteritos operepretium facturum me puto ſi pauliſ-
„ per expendero.

„ Hic Scriptor (cit. Lib. IV. 2.) conſtituto priùs Evangelici
„ Inſtrumenti Auctores Apoſtolos eſſe, quibus hoc munus prae-
„ dicandi Evangelii a Domino fuiſſet impoſitum: tum & Apoſto-
„ licos, ſed cum Apoſtolis, ut ipſe ait, & poſt Apoſtolos. Lucam
„ verò nihil aliud docuiſſe, quàm quod ab Apoſtolis Eccleſiae
„ didiciſſet; factumque propterea ex hac doctrinae conſenſione,

„ ut

„ ut Lucae Evangelium perinde ac Apoſtolicum monumentum „ a Fidelibus reciperetur ; taleque ſemper apud illos manſiſſe , „ quale etiam ſuo tempore tuebantur ; eadem ſubinde ratione „ firmat auctoritatem Evangeliorum Matthaei, Joannis, ac Marci: „ quod ſcilicet Eccleſiae ab Apoſtolis conſtitutae , tum ad earum „ exemplum caeterae omnes, eadem , ut genuina Fidei Chriſtia- „ nae Inſtrumenta ſemper ſuſpexiſſent . Quibus ita conſtitutis, „ urget poſtea Apoſtatam illum inquiens Cap. IV. *Itaque & de* „ *his Marcion flagitandus , quid , omiſſis eis , Lucas potiùs inſtite-* „ *rit : quaſi non & haec apud Eccleſias a primordio fuerint . Atquin* „ *haec magìs a primordio fuiſſe credibile eſt , ut priora, qua Apoſto-* „ *lica , & cum ipſis Eccleſiis dedicata . Igitur dum conſtet haec quo-* „ *que apud Eccleſias fuiſſe , cur non haec quoque Marcion attigit , aut* „ *emendanda ſi adulterata , aut agnoſcenda ſi integra? Nam & com-* „ *petit , ut , ſi qui Evangelium pervertebant , eorum magìs curarent* „ *perverſionem , quorum ſciebant auctoritatem receptiorem* . Locus „ hic Tertulliani eò eſt inſignior , quò magìs perplexus , & luce „ aliquâ indigens , ut rectè conſtet , tum etiam quia ad inveſti- „ gandam , quae olim in Africana Eccleſia vigere potuerit , Ca- „ nonis Oeconomiam , facem nobis aliquam praeferre videatur .

„ Itaque cum vix dubio ſit locus, jam ab ipſa Evangeliorum „ Editione Eccleſias illas , quarum in ſinu , ut ita dicam , educta „ fuerunt , ea ipſa ut novae Legis authenticas Tabulas ſervaſſe , „ & Fidelibus ut nota eſſent effeciſſe ; tum illorum Exemplaria „ ſtatim in alias etiam diffuſa : ſive miſſis ad hoc Notariis ea ſibi „ ut deſcriberentur curaverint , ſive Diſcipulis ipſis Apoſtolorum „ non ſolùm , ut inquit Euſebius Hiſt. Eccl. Lib. III. Cap. 37. „ κηρύττειν τὸν χριςὸν φιλοτιμȣμένοις , ſed etiam τὴν τῶν θείων εὐαγγελίων παρα- „ διδόναι γραφὴν . Et ſic quidem e re nata Credentium utilitati egre- „ giè conſulentibus , ut ſcilicet , nunciato jam ipſis Evangelio , „ ſacra illa Volumina deſcribendi copiam ultrò Fidelibus facerent. „ Matthaei proinde , quod primùm omnium Hieroſolymis , aut „ non procul emerſerat , confluentibus eò undique , ceu ad na- „ ſcentis Chriſtianiſmi incunabula Fidelibus , Apographa aliò , „ atque aliò tranſlata : tum proceſſu temporis Marci , ac Lucae,

„ po-

„ poſtremò etiam Joannis Eccleſias omnes quaquaverſum occu-
„ paſſe. Sicuti verò non ſtatim ubique gentium conſtitutae ſunt
„ Eccleſiae, citiùs provinciis aliquibus, ſeriùs aliis ad Fidei Sa-
„ cramentum vocatis; ita pro ratione locorum, ac temporum
„ modò hoc, modò illud ex Evangeliis nactas earum aliquas in
„ Codices ſuos retuliſſe: tum & caeterae etiam, prout occaſio,
„ aut facultas ſe dabant, addidiſſe. Et ita ordinem nullum fi-
„ xum, aut certum tunc adhibitum credibile eſt, donec evulga-
„ tis jam quatuor Evangeliis, ac paſſim diſtractis, Eccleſiarum
„ aliae rationem temporis, quo prodierant, aliae Auctorum ha-
„ bentes, diverſimodè illa in ſuis Exemplaribus exſulere. Et O-
„ rientalium quidem plurimas ordinem temporis ſequutas innue-
„ re videtur Origenes apud Euſebium Hiſt. Eccl. Lib. VI. 25.
„ Eccleſiaſtico etiam inſiſtens Canoni ita enumerat Evangelia
„ Matthaei, Marci, Lucae, ac Joannis, ut etiam quae illorum
„ priùs, quae poſtea prodierint, ex traditione acceptum deſi-
„ ſignet. Eandem ſeriem Euſebius tuetur, quem poſtea, Hiero-
„ nymo Vulgatum Interpretem recenſente, apud Occidentales
„ etiam Eccleſias obtinuit.

„ Verùm alias, non temporum, ſed Auctorum ratione ha-
„ bitâ, Apoſtolos, deinde Apoſtolicos in Codicibus ſuis diſpoſuiſ-
„ ſe, cum Exemplar noſtrum, ac Cantabrigienſe, tum illud Hi-
„ lario olim, famâ tenus, tributum a Druthmaro manifeſtiſſimè
„ evincunt. Et quidem in Africana Eccleſia ex duplici iſta Cano-
„ nis ſerie ſervatam alteram, fidem facere videntur adducti Ter-
„ tulliani loci. Auctores ſcilicet Evangelii fuiſſe quidem & Apo-
„ ſtolicos, ſed cum Apoſtolis, *& poſt Apoſtolos*. Mox etiam cla-
„ riùs: *Atquin haec magìs a primordio fuiſſe credibile eſt, ut priora*
„ *quà Apoſtolica*. De tempore, quo prodierint, loquutum Ter-
„ tullianum nemo ſanus crediderit. Diverſum itaque aliquid in-
„ nuere voluit iſtâ, ut ſic dicam, prioritate, qua principem Mat-
„ thaei, ac Joannis Evangelio locum adſcripſit. Neque aliud, ni
„ fallor, niſi quòd apud Eccleſias in Sacrorum N. T. Librorum
„ cenſu Apoſtolicorum illa praeverterent. Quam conjecturam
„ fulcire videntur ſequentia: *Nam & competit, ut, ſi qui Evange-*

„ *lium pervertebant, eorum magìs curarent perverſionem, quorum „ ſciebant auctoritatem receptiorem.* Quibus verbis nihil aliud ſen„ ſiſſe illum arbitror, quàm, utcunque ejuſdem auctoritatis apud „ Eccleſias cùm Apoſtolorum, tum Apoſtolicorum Evangelia eſ„ ſent, priorum tamen, habitâ Apoſtolatus, ac Magiſterii ratio„ ne, uſum apud illas fuiſſe potiorem. Quòd & frequentior in „ divini Verbi praedicatione ab iis peteretur auctoritas, & prima „ ſemper ante illa Apoſtolicorum in Synaxibus legerentur. Quid„ quid tamen de hoc ſit (veritatem enim in tantâ vetuſtatis cali„ gine conjecturis aſſequi tentamus) quamvis non auſim pro cer„ to affirmare Tertulliani aevo in Eccleſiis illis primum in Cano„ ne locum Apoſtolis datum, veroſimilius tamen hoc puto ex al„ latis hujuſce Scriptoris locis, quos ſupra perpendimus. Dixi „ Tertulliani aevo, nam poſtea eadem, quae in recenſione Hie„ ronymi ſeries obtinuit, ſaltem in Carthaginenſi, ut liquet ex „ Evangeliſtarum ordine, quem ibi ſervatum ſcribit Auguſtinus „ Serm. 144. de Tempore.

„ Quod de Eccleſiis Africae in diſponendo Canone conjicie„ bamus, hoc de Galliarum aliquibus ut idipſum non ſine veri„ tatis ſpecie affirmare poſſimus, faciunt Codices ſupralaudati. „ Quamvis Cantabrigienſis non Eccleſiae ulli, ſed privato cuidam „ in uſu fuerit, qui retentâ dumtaxat, quae illic vigebat, Cano„ nis ſerie, caetera per ſummam licentiam cum in Evangeliis, „ tum vel maximè in Actis Apoſtolorum ita miſcuit, invertit, re„ cudit, ut, teſte Millio, qui illud accuratiſſimè inſpexit, om„ nium, quotquot ad noſtra tempora pervenere, interpolatiſſi„ mum dederit. Undè non immeritò Simonii judicium deſide„ res, qui in Hiſtoria Critica N. T. adornatam ad corruptos hoſ„ ce fontes Latinam Verſionem non ſemel male conſultus credi„ diſſe videatur. Sed cum de Antigraphis iſtis ſit ſermo, videa„ mus nunc Druthmari locum, quem ſupra tetigimus.

„ Hic Scriptor Expoſit. in Matth. Cap. I. poſtquam Evange„ liſtas quatuor fluminibus, quae a Paradiſo voluptatis exibant, „ tum quatuor elementis comparaſſet: ac deinceps Epocam quam„ dam Evangeliorum ſtatuiſſet, *poteſt* (inquit) *ipſe* ordo Evange-

„ lio-

„ liorum *ideo ſic haberi, ut unus Apoſtolus ſit in capite, alter in*
„ *fine, & illi duo, qui inter ipſos habentur; auctoritatem ab ipſis*
„ *duobus habeant. Vidi tamen Librum Evangelii Graecè ſcriptum*,
„ *qui dicebatur Hilarii fuiſſe, in quo primi erant Matthaeus, & Jo-*
„ *annes, & poſteriùs alii duo. Interrogavi Euphemium Graecum cur*
„ *hoc ita eſſet: dixit mihi, in ſimilitudinem boni agricolae, qui,*
„ *quos fortiores habet boves, primò jungit.* Nihil hìc, undè Simo-
„ nius hunc ordinem a Latinis invectum aſſerere poſſet.

„ Cutantius in Vita S. Hilarii Operibus ejus praefixa, quo-
„ rum Exemplar pulcherrimae Editionis veſtrae, humanitati, ac
„ benevolentiae erga me tuae acceptum refero, obſervat deſcri-
„ bendis illum Sacris Libris vacaſſe. Idque ex Teſtamento S. Per-
„ petui Epiſcopi Turonenſis, in quo legavit Euphronio Auguſto-
„ dunenſi Librum Evangeliorum, *quem ſcripſit Hilarius Picta-*
„ *vienſis quondam Sacerdos*: atque hunc ipſum credi, qui etiam-
„ num Turonis in Eccleſia S. Gatiani ſervatur. Ex quibus Teſta-
„ menti verbis putat interpretari poſſe allatum Druthmari locum:
„ ut nimirum S. Hilarii dictus ſit Codex ille, quia manu ipſius
„ exaratus. Ego verò, ſi licet paria facere, utcumque non im-
„ probem conjecturam hanc Viri doctiſſimi, putarem tamen Co-
„ dicem illum unum ex Aſiaticis fuiſſe, quem cùm in Phrygia
„ exul ageret, ſtudiis ſuis adhibuerit Hilarius: mox ab exilio re-
„ vertens in patriam retulerit. In quam conjecturam eò faciliùs
„ ductum me fateor, quod perquam veroſimile ſit minoris Aſiae
„ Eccleſias in diſponendo Canone, non attenta ſerie temporum,
„ quibus Evangelia prodierant, ſed habitâ Apoſtolatus ratione,
„ Matthaei primum, quod ubique gentium, tum Joannis, a quo
„ plures conſtitutae, rectaeque fuerant, in Codices ſuos retuliſ-
„ ſe. Sicque fortaſſe factum, ut mos ille etiam in Gallias inve-
„ heretur; niſi jam antea obtinuerat. Quod pateret luculentius,
„ ſi in laudato Apographo Eccleſiae Turonenſis, ante exilium,
„ ſi ita eſt, ab Hilario deſcripto, pari ſerie, ac in ſupralaudatis,
„ Canon procederet. Multò verò magis hoc mihi ſuaderet, ſi ve-
„ rum eſſet, quod putat Cutantius, Hilarium poſt Commenta-
„ rios in Matthaeum, ſtatim curam hanc in Joannem extendiſſe.

 „ Ita

„ Ita enim Exemplarium ſuorum ordinem ſequi videbatur.
„ Num verò ex laudato Druthmari loco rectè conjecerit Cla-
„ riſs. Editor, in Antigrapho Hilarii, poſt Matthaeum, ac Joan-
„ nem, poſteriores duos Marcum (ut ipſe ait) ac Lucam proceſ-
„ ſiſſe, incertum omnino eſt. Videndum propterea ab iis, pe-
„ nes quos vetuſtiores Codices ſuperſunt, num in quibus Mat-
„ thaeus, & Joannes praecedunt, Lucas ſemper, deinde Marcus,
„ ut in noſtro, ac Cantabrigienſi, an ſecus ſequantur. Fortaſſe
„ enim ex diverſa eorum ſerie cum mos Eccleſiarum, ac priva-
„ torum in digerendo Canone erui poſſet, tum etiam quodnam
„ ex Evangeliis Lucae, ac Marci primum illis nanciſci contige-
„ rit. Utcunque enim Apoſtolis ob dignitatem primus in Canone
„ locus ſit datus: de Luca tamen ac Marco ambiguum, cur ille
„ hunc praeverterit. An quia ſeriùs Marci Exemplar habuerint
„ illi, quibus ſeries illa uſurpabatur, Luca in Codices antea re-
„ lato, an alia de cauſa. Fortè enim Lucae principem poſt Apo-
„ ſtolos locum tribuerint, quòd longe uberius, quàm Marcus,
„ Evangelicam Hiſtoriam digeſſerit, repetitis videlicet altiùs re-
„ bus; & ſtemmate Servatoris ſecundum carnem accuratè dige-
„ ſto. Certe in hoc rationem temporis non habuiſſe illos, apud
„ quos ea Canonis ſeries vigebat, ex Veteribus liquet, qui Mar-
„ cum ante Lucam Evangelium ſuum literis conſignaſſe putave-
„ runt, uti ſuperiùs ex Origene obſervabamus. Aliter tamen
„ ſentiente Clemente Alexandrino, qui Euſebio teſte Hiſt. Eccl.
„ Lib. VI. 14. Προγεγράφθαι ἔλεγεν τῶν εὐαγγελίων τὰ περιέχοντα τὰς γενεαλογίας.
„ Nempe quod fons, fundusque Evangelicae Hiſtoriae genus Chri-
„ ſti juxta carnis diſpenſationem eſſe videretur, propterea vero-
„ ſimilius eſſe arbitratus eſt Clemens, munito jam a Matthaeo,
„ ac Luca itinere iſto, conſtitutoque, quod primum omnium
„ ſciri oportebat, tunc & Marcum Evangelio ſuo incubuiſſe.
„ Dixi a Matthaeo, & Luca; quamvis ambiguus ſim, hunc ne,
„ an illum praeiviſſe ſenſerit Clemens. Fortaſſe tamen praelu-
„ xerit ſententiae illorum, qui primum ante alios in ſcribenda
„ Evangelica Hiſtoria fuiſſe Lucam arbitrantur; quos inter duo
„ e Proteſtantibus Baſnagius, & Clericus. Hic enim ad Dodwelli
„ lo-

,, locum ; in quo Matthaeum Evangeliſtarum antiquiorem aſſeve-
,, rat, hoc nuſpiam probatum ſe vidiſſe ait. Quae enim Graeci
,, recentiores de aetate Evangeliorum commenti ſunt, ea nullo
,, fundamento niti; ſed longa, ut puto, intenſione Operis fal-
,, lente memoria. Nam haud multò ante dixerat Diſſert. III. de
,, IV. Evang. ad calcem Harmon. Evangelicae: *Origenes non mo-*
,, *dò Dogmatum aevi, ſed & Antiquitatum Eccleſiaſticarum callen-*
,, *tiſſimus, ita de quatuor Evangeliis loquitur in fragmento Tom. I.*
,, *Comment. in Matth. apud Euſebium Hiſt. Eccl. Lib. VI.* 25. Πρῶτον
,, μὲν γέγραπται τὸ κατὰ τόν ποτὲ τε τελώνην ὕςερον δὲ Ἀπόςολον Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃
,, Ματθαῖον. Porrò ſi poſt Origenem recentiores Graeci Matthaeum
,, ante caeteros ſcripſiſſe ajunt, fundamento ſatis valido nituntur,
,, auctoritate ſcilicet hominis Antiquitatum Eccleſiaſticarum cal-
,, lentiſſimi, qui primum inter Evangelia a Matthaeo antea Pu-
,, blicano, deinde Apoſtolo Jeſu Chriſti ſcriptum aſſerit.

,, Sed multò licentius Balnagius, qui ad ann. Chriſti LX. ut
,, Lucam Matthaeo priorem induceret, inter caeteras conjecturas
,, hanc afferre non dubitavit; meliùs ſcilicet in Chriſti Stemmate
,, efferendo res ſucceſſuras, ſi Lucae priùs, mox Matthaei ordo
,, conſtitiſſet. Ac propterea ex hujus *decentia* futurum tunc fuiſ-
,, ſe, ut indè inciperet, unde initium ſumendum fuerat. Nempe
,, & a miſſione Angeli ad Eliſabetam, atque Mariam; & ab Edi-
,, cto Auguſti, quo impulſa Virgo in Bethlem perrexit, ibique
,, peperit. En tibi hominem periculoſâ ſaeculi ſapientiâ aequè de
,, profanae Hiſtoriae, ac de Divinae Scriptoribus judicantem,
,, quaſi non iſti θεόπνευςοι eſſent; quodque ad id munus vocatos de-
,, ceret, divinus ille Spiritus neſcire permitteret. Et mirum pro-
,, fectò, quòd Criticus iſte utrumque Evangeliſtam haud ſervatae
,, licentiae (fortè *decentiae*) poſtulaverit, quòd non altiùs, ut po-
,, ſtea Joannes, a generatione divina Verbi initium Stemmatis
,, ſumpſerint (diem fortaſſe dicturus Euſebio, qui Hiſt. Eccl. III.
,, 24. provinciam hanc a Spiritu Sancto illi ſervatam ſcripſiſſet.)
,, Hoc enim ad ſummam rerum, de quibus deinceps agere debe-
,, bant, facere omnino videbatur. Et perverſis etiam ingeniis,
,, quae Jeſum Chriſtum, uti hominem dumtaxat erant traductura,

,, ne

„ ne ad horrenda illa brevia miſerrimè impingerent facem prae-
„ tuliſſent.

„ Obſervavimus jam, quantùm equidem per tot ſaeculorum
„ nebulam proſpicere nobis licuit, quem in Canone Evangelico
„ diſponendo ordinem quaedam ex Orientalibus tum Africae, ac
„ Galliarum Eccleſiae uſurpaverint. Manus tamen e veſtigio illis
„ daturi, qui nos per deſerta loca gradientes, ſi minùs verum
„ at ſaltem quod veroſimilius ſit, fortaſſe non adſequutos, in
„ viam reduxerint. De Italiae noſtrae, praeſertim de aliarum
„ omnium Principe Eccleſia Romana, quid conjicere in proclivi
„ ſit, fateor me neſcire. Quamvis enim in Canone ſuo Mat-
„ thaeum olim, ac Joannem, ratione habita Apoſtolatus, duobus
„ aliis praeferre potuerit; idque eo amplius, quod Joannes & Ro-
„ mae fuerit, & in igneum oleum, ut inquit Tertullianus de
„ Praeſcript. Haeret. Cap. XXXVIII. Tom. I. (perperam Vatica-
„ nus Nyſſeni Codex in laudatione altera Sancti Stephani inter
„ monumenta Eccleſiae Graecae a Cl. Zacagnio edita εἰς ϑδ ωρ)
„ demerſus, fidei teſtimonium reddiderit; de Luca tamen, ac
„ Marco eſt utrinque ambigendi locus. Et ſanè, quod crederem
„ ad diſquiſitionem hanc ſubſidium aliquod e Vaticana ſperari
„ poſſe, oraveram olim Eminentiſſimum Principem Angelum
„ Mariam Quirinum Romanae Eccleſiae Bibliothecarium, ut, ſi
„ qui Codices in ea ſupereſſent, in quibus diverſus a Vulgata ordo
„ vigeret, eos inſpici a VV. CC. ejuſdem Bibliothecae Cuſtodi-
„ bus jubere dignaretur. Qui, ut non ſolùm eſt animi magnitu-
„ dine, ſplendore Operum, munificentia, liberalitate, quae verè
„ Principem deceant, ſed ſcientiarum laude, fovendis literis,
„ provehendiſque propterea ingeniis ad immortalitatem hominis
„ factus, votis noſtris benignè annuens, ut ſacra illa monumenta
„ inſpicerentur, mandavit. Sed nihil indè lucis affulſit; omni-
„ bus, quotquot inſpecta ſunt, ad Hieronymi Canonem compa-
„ ratis.

„ De caeteris Eccleſiis longiùs in Italia ab Urbe ſemotis, Ci-
„ ſalpinae praeſertim Galliae, facilè eſſet ad rem, de qua agimus,
„ e vexato Epiphanii loco Haereſi LI. de Lucae in Italia, Gallia-

„ que

„ que praedicatione, aliquid comminiſci. Sed longiùs fortaſſe, „ quàm par eſt, & noſtris, & aliarum conjecturis indulſimus.

Haec ex Clariſs. Garbellio non ideo recitavimus, ut Praefationem noſtram alienis laboribus farciremus, ſed non alia de cauſa, quàm ut oſtenderemus quantùm vetuſtatis, Eccleſiaſticae Hiſtoriae cultoribus jucundiſſimae, quantùm lucis ad ſtabiliendam Evangeliorum Antehieronymianam Seriem ex Euſebiano Codice erui poſſit. Illud tamen ſilere non poſſumus fruſtra Druthmari locum citari, ac ad Codicem S. Hilarii Turonenſi in Urbe apud S. Gatiani Templum ſervatum trahi, cùm Druthmarus de Graeco loquatur Codice, & Turonenſis Latinè ſcriptus ſit, quemadmodum patet ex Variantibus a Vulgata Lectionibus ejuſdem Apographi, quas Eruditiſſimus Domnus Auguſtinus Calmet publici juris fecit ad calcem Commentariorum ſuorum in Acta Apoſtolorum, quae res nobis non modico fuit adjumento, ut in Notis, Lector optimè, ſatìs cognoſces. Codices verò alios, in queis eodem ordine, quo in noſtro reperiuntur, Matthaei primùm, mox Joannis, deinde Lucae, poſtremo autem Marci Evangelium, cùm requirat Garbellius doctiſſimus, ad ſtatuendum utrum in Eccleſiis Italicis ab Urbe ſemotis, & praeſertim Galliae Ciſalpinae Lucae Evangelium illud quod Marcus conſcripſit praeceſſerit ante invectum Sancti Hieronymi Canonem; facilè id percipere poterit ex hoc Euſebiano Exemplari inſigni antiquitatis teſtimonio. Tanti ponderis monumento oh utinam liceret praelaudatum Turonenſem S. Gatiani Apographum addere! Sed cùm Clariſs. Calmet variantes illius Lectiones ab alio acceptas erudito Viro imprimendas curaverit non ſolas, ſed cum aliis mixtas, ſcire non licet an eadem Serie ibi Evangelia ſint conſcripta, qua nunc utimur nec ne. Caeterùm de Antehieronymiano Ordine Evangeliorum etiam in Codice hoc noſtro ſervato quaedam ſuperſunt Lectoribus exhibenda, quae advertit in jam citata Epiſtola ſua Clariſs. Blanchinus, ait enim: „ De ordine Evangeliorum Cl. Vir Philippus Ab„ bas Garbellius, eruditè de more, fuſoque ſtilo conſcripſit: qua„ re perpauca ſolùm adjiciam (ea tamen, uti arbitror, non in„ grata illi) ex quibus novum antiquitatis pondus Vindebonenſi

„ (di-

„ ( dicam ego Vercellenſi ) Codici accedet . In eo ergo , Te do- „ cente , cùm extet Lucas , deinde Marcus ſequatur ( qui Manu- „ ſcripto Libro finem imponit ) mihi etiam in mentem venit , „ Matthaeum , & Joannem ( quorum priora Evangelia tempus „ edax abſumpſit in Cod. ) ordine praeceſſiſſe ; ut in Veronenſi „ ( de quo infra ) in Cantabrigienſi , in Brixiano , aliiſque intue- „ mur . Apoſtolis nempe , ob eorum dignitatem , primus in Ca- „ none locus datus eſt , ut docet Tertullianus . Mos verò ille in „ Gallias etiam invectus eſt , quae Matthaeum primùm , tum Jo- „ annem , in Sacros Codices retulerunt . Id diſcimus ex recitato „ vetuſtiſſimo Abbatiae Corbejenſis Exemplari, quod Calmet con- „ tulit, atque laudavit, necnon ex altero Bibliothecae Patrum Be- „ nedictinorum S. Germani, Verſionem Italam Epiſtolarum Beati „ Pauli, ac e regione Graecum Textum exhibente, ad cujus cal- „ cem extat Catalogus Librorum Novi Teſtamenti , in quo ita „ legitur : *Matthaeus* (habet) *verſus* 2600. *Johannes verſus* 2000. „ *Marcus* 1600. *Lucas* 2900. In veteri quoque Stichometria Co- „ dicis Graeci Prophetarum Rupifucaldiani , ſcripta ante annos „ mille literis uncialibus , editâque a doctiſſimo Cotelerio in No- „ tis ad Barnabam , & ante illum a Morino , princeps Matthaei „ ac Joannis Evangelio locus adſcribitur . Quare autem Sacrorum „ Evangeliorum Canon ita in iis Codd. digeſtus fuerit, aperiamus. „ In Conſtitutionibus Apoſtolicis Lib. II. Cap. 57. haec habentur: *Lector in quodam loco excelſo ſtans legat libros Moſis , & Jeſu filii Navis , Judicum , & Regnorum , item Paralipomenon , & quae de populi reditu conſcripta ſunt : ad haec Jobi , & Salomonis volumina, ſimulque ſexdecim Prophetarum . Peractiſque per binos lectionibus , quidam alius Davidis hymnos pſallat , & populus extrema verſuum ſuccinat . Dein Acta noſtra recitentur , & Epiſtolae Pauli adjutoris noſtri , quas Sancti Spiritus ductu ad Eccleſias miſit . Poſtea Diaconus , vel Presbyter legat Evangelia , quae ego Matthaeus , & Johannes vobis tradidimus , & quae Auditores Pauli Lucas & Marcus accepta reliquerunt vobis* &c. „ Haec mihi videtur cauſa veriſ- „ ſima , cur Matthaeus & Joannes, Lucam , Marcumque in non- „ nullis antiquis Italae Verſionis Exemplaribus anteiverint .

De Ordine Evangeliorum haec ſatìs dicta ſint, alium nunc promamus antiquitatis argumentum nimirum ex nomine, quo in Euſebiano Exemplari Lucas Evangeliſta indigitatur. Hìc enim *Lucanus* dicitur non *Lucas*; id autem ideo factum credimus, quòd fortè id magìs Latinae linguae convenire Scriptor fuerit arbitratus, quemadmodum noſtro etiam ſaeculo non deſunt, qui Hebraica, vel cujuslibet alterius exteri Idiomatis vocabula latinè reddunt, ut pro Adam, David, Samuel, Noë, aliaque hujuſmodi, efferant Adamum, Davidem, Samuelem, Noacum &c. Quod quidem non tam proprium noſtri Codicis eſt, ut idem in aliis Apographis factum non fuerit. Teſtis eſt, quem ſemper honoris gratiâ nominabimus, Cl. V. Blanchinus, qui de Vindebonenſi Exemplari in jam ſaepiùs laudata Epiſtola, ait: „ Igitur in tuo Codice „ Caeſareo *Lucas* inſcribitur, *ſecundum Lucanum*. Quae inſcriptio „ eſt peculiaris duobus tantùm MSS. Libris Italae Verſionis, iiſque „ antiquitate caeteris procul dubio praeferendis. Primus eſt Ver„ cellenſis, ſeu Euſebianus; ut videre licet in ejus ſpecimine „ characterum impreſſo pag. CCCLXXV. Alter verò celebris Ab„ batiae Corbejenſis, cujus variantes lectiones dedit Cl. Vir Dom„ nus Auguſtinus Calmet poſt Acta Apoſtolorum, praemiſsâ hac „ eruditâ Praefatione a nobis minimè praetereundâ.

„ *Poſt noſtri in Sancti Matthaei Evangelium Commentarii edi„ tionem ad manus meas pervenit vetuſtiſſimus Abbatiae Corbejenſis „ Codex MS. num.* 195. *ſaeculo ſexto uncialibus literis exſcriptus, „ in quo verba ſaepiſſimè altera ab alteris ſejuncta non ſunt, & men„ dis diffluens eſt orthographia. Continet iſte quatuor Evangelia, „ qualia erant ante S. Hieronymi correctionem, ſeu interpretationem. „ Cum autem eo uterentur ad Evangelium in Miſſa canendum, plu„ res, praecipuè verò in S. Matthaeo, ſuperadditae fuerunt corre„ ctiones, quo S. Hieronymi Vulgatae conformior redderetur. Hae „ tamen correctiones, tum ob atramenti, cùm ob characteris diſcri„ men ab ipſo Opere facile diſcerni queunt. Quatuor autem Evange„ liſtae alio omnino ordine, ac in noſtris Exemplaribus, in illo col„ locantur. Occurrit primò S. Matthaeus, cujus priora undecim Ca„ pitula excidere; ſecundò S. Joannes; tertiò S. Lucas, vel Luca-*

„ *nus, ut ibi appellatur; & quartò S. Marcus. Praecipuas hujus „ MS. variantes lectiones collegimus; ſi enim omnes adnotare pla- „ cuiſſet, totus fuerat exſcribendus; nam in ſingulis ferme verſicu- „ lis, ſi verborum ordo, & vocabula aequivalentia ſpectentur, ob- „ viam habentur. Hujus MS. & aliorum, qui in antiquis Biblio- „ thecis adhuc inveniri poſſunt, auxilio, nullus dubito, quin veteris „ Italicae textus quoad Evangelia reſtitui poſſet. Lucas Brugenſis „ vetuſtum Abbatiae Malmundarienſis MS. veterem Vulgatam conti- „ nentem laudat. P. Martianaeus Congregationis S. Mauri Benedi- „ ctinus veterem S. Matthaei textum e duplici antiquo MS. S. Ger- „ mani de Pratis altero, & altero Corbejenſi, ſed a noſtro ob ejus „ antiquitatem, & characterem longè diverſo, depromptum edidit. „ Corbejenſis, qui in P. Martianaei manus incidit, 800. annorum „ antiquitatem non excedit, & literis Saxonicis, ſeu Merovingicis „ ſcriptus eſt; noſter verò exaratus characteribus Latinis, quadratis, „ uncialibus, & ſexto ſaeculo, ut doctiores opinantur. Martianaei „ Codex veterem S. Matthaei Italicam tantummodo, ut videtur, con- „ tinet; noſter quatuor Evangelia. Noſtrum autem conferentes MS. „ cum Martianaei Editione S. Matthaei; animadvertimus noſtrum „ cum MS. S. Germani de Pratis, cujus variantes ad oram ſuae Edi- „ tionis poſuit Martianaeus, magìs convenire. Has omnes variantes „ conferentibus patebit, quàm verè dixerit S. Hieronymus Praefat. „ in Evangelia tot olim variantes in Exemplaribus occurriſſe, ut tot „ diverſa Exemplaria cenſeri poſſent, quot Codices haberentur:* „ Si „ Latinis Exemplaribus fides eſt adhibenda, reſpondeant, qui- „ bus? Tot enim ſunt Exemplaria penè quot Codices.

Laudatiſſimi hujus Viri Praefationem hanc poſt Cl. Blanchinum libentes exſcripſimus, nam multa continet, quae Codici noſtro Euſebiano, paucis immutatis, aptari poſſunt. Haec eruditi Lectores, nobis vel tacentibus, facili negotio percipient. Adde, quòd Corbejenſis Codicis notitiam illamque exactiſſimam Domnus Calmet in hac Praefatione dedit, nos quodammodo hoc onere levans, id enim nobis faciendum erat, cùm de his agemus Exemplaribus, unde Notas & conſonantes aliorum Apographorum cum Euſebiano Lectiones hauſimus. Illud interim ſilere non

decet,

decet, Vercellenſem Codicem noſtrum caeteros omnes, qui hactenus viſi ſunt Eruditis, & Literariae Reipub. innotuere, Italicae veteris Vulgatae Antehieronymianae Verſionis antiquitate praecedere, ideoque tanti a doctiſſimo Blanchino jure habitum, ut cum Quadruplicis Evangelii ſpecimen exhiberet, primo loco Euſebianum collocaverit, e regione poſito Veronenſi, in quo etiam Evangeliſtarum Ordo cum noſtro conſonat, mox Corbejenſi, & demum Brixiano, additis poſtmodum variantibus Lectionibus MS. Codicis S. Germani de Pratis. Quod quidem Eruditiſſimi Viri conſilium adeo ſuſpicimus, ut votis omnibus integram hujuſcemodi Evangeliorum Editionem exoptemus, ſperantes fore, ut hoc pacto (quod Doctiſſimus Auguſtinus Calmet in Praefatione paulò ante exhibita ſcribebat) Textum integrum Vulgatae veteris Italicae, quoad Evangelia, aliquando reſtitutum ſaeculo noſtro poſteri debeant.

Sed undè paulatim divertimus revertentes alio magni momenti argumento Euſebiani Exemplaris vetuſtatem confirmemus. Deſiderantur in eo duodecim primi verſiculi Cap. VIII. Evangelii ſecundum Joannem, quibus Hiſtoria mulieris adulterae a Phariſaeis, atque Scribis in fragranti crimine depraehenſae, & Redemptori oblatae, ut quid de ea fieri opus eſſet reſponderet, continetur. Quamvis nemo Catholicorum ambigat de hujus Evangelicae Hiſtoriae veritate, praeſertim poſtquam Tridentinum Concilium Seſs. IV. de Scripturis Canonicis declaravit pro vero, & canonico habendum quidquid in hodierna Vulgata Bibliorum Editione reperitur, ita ut haec quoque Evangelii ſecundum Joannem pars ſit pro canonicâ, & authenticâ habenda, prout talem remotioribus ſaeculis etiam agnoverunt Tatianus, Ammonius, Sanctus Ambroſius Lib. III. de Spiritu Sancto Cap. 2. & Lib. VII. Epiſt. 58. ac Lib. IX. Epiſt. 76. Sanctus Auguſtinus in Joannem Tract. XXXII. & Lib. II. de Adul. Conjug. Cap. 6. & 7. & Lib. de Conſen. Evangeliſt. Cap. 10. multiſque aliis in locis, ut etiam idem ſenſere plures non infimi ſubſellii veteres Interpretes; tamen temporibus Antehieronymianis hanc Hiſtoriam non in omnibus lectam fuiſſe Evangelicis Codicibus teſtem habemus ipſum S Hiero-

nymum Lib. II. contra Pelag. Cap. 6. ſcribentem : *In Evangelio ſecundum Joannem in multis & Graecis , & Latinis Codicibus non invenitur de adultera muliere* &c. Neque defuerunt Viri eruditione celeberrimi, qui excitaverint quaeſtionem utrum Hiſtoria, de qua agimus , Apoſtoli Joannis manu ſcripta primùm fuerit , an poſtmodum Papias ipſius Joannis diſcipulus ex ore Magiſtri auditam Evangelio adjecerit , quod innuere videtur Euſebius Lib. III. Cap. 39. addens in Evangelio , quod ſecundum Hebraeos inſcribitur , hujuſce rei narrationem reperiri . Certè Armeni eam Hiſtoriam ex Bibliis ſuis penitus ſuſtulere, & Syriaca Verſio in Polyglotis Pariſienſibus, & Londinenſibus edita hanc non legit, quemadmodum neque vetus Gothicus Interpres . Cauſam autem cur Graeci praeſertim hanc narrationem ex Evangelio delendam putaverint, apertè prodit citatus S. Auguſtinus de Adulter. Conjug. Lib. II. Cap. 7. non quod authenticam & canonicam non exiſtimarent , ſed quod impunitatem peccandi dare mulieribus malè intellecta videretur . Idipſum de aliis aliarum gentium Interpretibus pronunciandum cenſemus ; ideo ſcilicet eam de Codicibus ſuis ſuſtuliſſe , quòd Hiſtoriam hanc coram populo legi expedire non arbitrarentur . Nullus profecto Evangelii locus , magis quàm hic varias habet lectiones , immò & in vetuſtis quibuſdam Graecis MSS. Codicibus & loco mota eſt , de qua tractamus , Hiſtoria ; nam in Codice quodam Leiceſtrenſi extat ad calcem Cap. XXI. Evangelii ſecundum Lucam , in geminis verò Regis Francorum num. 1879. & 1883. rejecta eſt ad finem Evangelii ſecundum Joannem . At in Codice item Regio num. 2861. abeſt omnino , integrâ relictâ paginâ vacuâ eo loci , ubi collocanda erat . In Codicibus num. 2241. 2242. 2867. & 3424. notulis quibuſdam in margine notata conſpicitur . In aliis minutioribus quibuſdam literis exprimitur , vel in margine ipſo Codicum ſcripta reperitur . Ideo Euthymius , qui ſaeculo XII. ineunte adhuc erat inter mortales, in Commentariis ſuis, quibus Evangelium Joannis interpretatus eſt , Hiſtoriam quidem hanc adulterae mulieris explicuit , monendos tamen Lectores duxit eam in melioris notae Apographis deſiderari , vel obelis obſignatam ſe illam advertiſſe. Id ſaeculo

culo IV. fieri coepiſſe arbitratus eſt Joannes Millius in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum Graecum num. 251. & ſeqq. conjiciens ſtudioſum quempiam conjectis oculis in locum Euſebii citatum Lib. III. Hiſt. Evang. quo Hiſtoria mulieris multorum criminum apud Dominum accuſatae, quam expoſuit Papias, ex Evangelio ſecundum Hebraeos ſumpta dicitur, putantem illico, id quod planè res erat, eandem fuiſſe hanc cum Hiſtoria Adulterae apud Joannem, protinus ſecum ſtatuiſſe intruſam eam hìc fuiſſe a Scriba aliquo ex Evangelio Hebraeorum, eamque ideo ut ſpuriam, & addititiam obelis confixiſſe. Obelus poſtmodum in alios tranſiit Codices, donec audaculus aliquis librarius in partem hanc ob ſigna illa ſuſpectam incidens, integram praetermiſit, ejuſque exemplum alii poſtmodum ſunt ſecuti. Longè tamen abeſſe aſſerit Millius ipſe, ut ex Hebraeorum Evangelio Periocha Adulterae deſumpta ſit, cum revera nihil aliud quàm Pericopes iſti conſimilis, quae in Evangelio ſecundum Hebraeos extabat, mentio ab Euſebio facta, hanc partem in ſuſpicionem primùm adduxerit. Haec omnia in medium protulimus, non ut hujuſmodi Hiſtoriam pro canonica non habendam arbitremur, eam enim Eccleſiae Catholicae judicium venerantes totis ulnis amplectimur, ſed quòd plurimùm valeant ad oſtendendam Sacroſancti Codicis Euſebiani vetuſtatem, quae Sancti Hieronymi aetatem praeceſſerit. Sanè Hiſtoriam ipſam pro verâ, atque genuinâ Evangelii ſecundum Joannem parte habitam (etiam ſi alia deeſſent, quae ſupra dedimus argumenta) primis Fidei Chriſtianae temporibus, uſque adeo certum eſt, ut citatus Ammonius, qui anno ſalutis noſtrae CCXX. adeoque intra annum CXX. ab obitu Sancti Apoſtoli, & Evangeliſtae Joannis, florebat, eandem in Harmoniam ſuam Evangelicam, e qua Euſebius ipſe Canones ſuos, ſeu Canonum Tabulas conſtruxit, inferre non dubitaverit. *Ut ut eſt* (inquit Janſenius Gandavenſis Conc. Cap. LXXVI.) *quamquam aliquando de Hiſtoriae hujus firmitate dubitare licuerit, nunc tamen propter Eccleſiae conſenſum dubitare non licet, ſicut nec de Hiſtoria Suſannae.*

Verùm non illa ſolùm, quae in pretioſiſſimo tanti Martyris Exemplari deſiderantur, ejuſdem antiquitatem poſteritati commen-

mendant; ſed illa etiam idem praeſtant, quae hìc ſcripta cernimus, & in Vulgata Sacrorum Evangeliorum Lectione non occurrunt. Aliquot ex his hoc loco promemus, nam de reliquis quae minoris ſunt negotii paucis in Notis agemus. In Evangelio ſecundum Matthaeum Cap. III. col. 21. legitur in noſtro Codice: *Et cùm baptizaretur, lumen ingens circumfulſit de aqua, ita ut timerent omnes, qui advenerant.* Haec quidem verba non habemus in Vulgato Textu, verumtamen illa olim in Sacris Evangeliorum Exemplaribus extitiſſe teſtatur Codex antiquae Vulgatae, qui in Bibliotheca S. Germani de Pratis etiamnum aſſervatur, ubi teſtante Dupinio in Diſſertatione praeliminari ad Biblia Lib. II. Cap. 2. haec leguntur: *Et cùm baptizaretur Jeſus, lumen magnum fulgebat de aqua, ita ut timerent omnes, qui congregati erant.* Et ne quis fortè ſuſpicetur haec verba utpote Codicis, cujus aetas tempora Antehieronymiana non pertingat, integram vetuſtae lectionis fidem non facere, accedet auctoritas Juvenci Presbyteri, qui certè S. Hieronymo fuit antiquior (anno enim Chriſti CCCXXIX. vel circiter Evangelicam Hiſtoriam, ipſa quantum licuit per metri leges Evangeliſtarum verba ſecutus, carmine heroico reddidit) & ab eo in Commentariis in Matthaeum citatur; Hiſpanus ille piiſſimus Vates de Salvatoris noſtri agens Baptiſmate ſatìs perſpicuè oſtendit in Exemplaribus Evangelicis ſui temporis haec verba fuiſſe, ea enim ſic exponit:

*Haec memorans vitreas penetrabat fluminis undas.*
*Surgenti manifeſta Dei praeſentia claret.*
*Scinditur auricolor coeli ſemptemplicis aethra &c.*

Sed de hoc additamento, quod in Codice noſtro extat, majora dabimus in Notis ad col. 21. ſupradictam, quae in aliis habentur vetuſtis Scriptoribus, argumenta.

In eodem Evangelio ſecundum Matthaeum, eodemque Cap. III. in fine col. 22. Codicis noſtri verba aeterni Patris Filium poſt Baptiſmum e coelo alloquentis ſic leguntur: *Tu es Filius meus dilectus, in quo bene complacui*; mox duae ſubſequuntur lineae, quas con-

conſumpſit antiquitas. In his, niſi noſtra nos fallit opinio, olim ſcriptum fuiſſe ſuſpicamur id, quod citat ex vetuſtiſſimo Evangelio ſecundum Hebraeos Sanctus Epiphanius Haereſi XXX. Ebionit. §. 13. ibi enim ſic: *Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui. Et iterum. Ego hodie genui te.* Conjecturam noſtram juvant Sanctus Juſtinus Martyr, aliique Patres in Notis citandi apud quos varia eſt Lectio hujus loci, & vel ex integro, vel ex parte hujuſmodi verba juxta id, quod aſſerimus, referunt; qua de re quaedam etiam animadvertit Sanctus Auguſtinus in Lib. de Concordiâ Evangeliſtarum Cap. XIV. Praelaudati autem Juvenci aetate ita legiſſe Codices Evangelicos liquet ex ejus metrica Paraphraſi, ubi:

*Tunc vox miſſa Dei longum per inane cucurrit,*
*Ablutumque undis Chriſtum, Flatuque perunctum*
*Alloquitur: Te Nate hodie per gaudia teſtor*
*Ex me progenitum; placet haec mihi gloria prolis.*

Ex quibus dubio procul carminibus apertiſſimè noſcere poſſumus veterem hujus loci Verſionem, quae ante S. Hieronymi Emendationem in uſu erat, atque Codici huic Euſebiano antiquitatis pondus apponitur.

Sed & in Cap. XX. ipſius Sancti Matthaei Evangelii col. 219. additio alia lectoribus obvia eſt his concepta verbis: *Vos autem quaeritis de puſillo creſcere, & de majore minores eſſe. Intrantes autem & rogati ad coenam nolite recumbere in locis eminentioribus ne fortè clarior te ſuperveniat, & accedens qui ad coenam vocavit te dicat tibi: adhuc deorſum accede & confundaris. Si autem in loco inferiori recubueris, & ſupervenerit humilior te, dicet tibi qui te ad coenam vocavit, accede adhuc ſuperiùs, & erit hoc tibi utilius.* De hoc additamento nonnulla dicenda reſervamus in Notis, hìc tamen illius antiquitatem confirmabimus ex praelaudati Juvenci carminibus, ejus ſenſum ſic dantibus:

At

*At vos ex minimis opibus tranſcendere vultis ;*
*Et ſic e ſummis lapſi comprenditis imos .*
*Si vos quiſque vocat coenae convivia ponens ,*
*Cornibus in ſummis devitet ponere membra ,*
*Quiſque rapit , veniet forſan ſi nobilis alter ,*
*Turpiter eximio cogetur cedere cornu ,*
*Quem tumor inflati cordis per ſumma locarat .*
*Sin contentus erit mediocria prendere loca ,*
*Inferior dehinc ſi mox conviva ſubibit ;*
*Ad potiora pudens tranſibit ſtrata tororum .*

Additionem aliam in Capite III. Evangelii ſecundum Joannem col. 375. pluribus illuſtravit Cl. Blanchinus , cujus ſupra retulimus eruditiſſimam de Codice noſtro ſententiam ; & ab ipſo citatum Sancti Ambroſii teſtimonium de Arianorum temeritate in ea ex Evangelicis Exemplaribus abradenda . Doctiſſimi Viri ſequentes veſtigia quaedam hìc & nos ex tenui penu promemus , ut additionis antiquitatem oſtendentes, Codicem quoque noſtrum ex hac parte, pretiumque illius Lectoribus commendemus . *Quod natum eſt de Spiritu , Spiritus eſt , quia Deus Spiritus eſt , & ex Deo natus eſt* : adhuc legitur in Vercellenſi Codice, triumphante quodammodo rurſus de Arianis hoſtibus ſuis infenſiſſimis Magno Euſebio . Sacrilegi enim Evangelii corruptores , quamvis & ex ſuis , & ex Eccleſiarum etiam Codicibus *Quia Deus Spiritus eſt* S. Ambroſio teſte delere potuerint , ad Vercellenſem tamen eorum pervenire non potuit audacia . Id tribuendum non minùs diligentiſſimae cuſtodiae , qua Vercellenſis Baſilicae Clerus pretioſiſſimam Beatiſſimi Patris haereditatem ſemper ſervavit , quàm divinae Providentiae prodigio , quae ſemper non ab eo tantùm Templo , ſed etiam ab Urbe illa Arianâ peſte pollutos homines poſt invicti Martyris glorioſiſſimam mortem arcuit. In Actis enim illius circa finem haec habemus : *Ad ſepulchrum verò S. Euſebii tunc & deinceps divina panduntur miracula . Nam eo die quo interfectus eſt , tanta coruſcatio, tantaque nubila facta ſunt , ut vix ullus*

*Aria-*

*Arianorum crederetur evadere : ſicque gratia divina conceſſum eſt, ut in ipſa civitate deinceps nullus Arianus vivere queat, nec in Eccleſiam illius ingredi valeat.* Caeterùm teſtificationi S. Ambroſii de hujus loci antiqua Antehieronymiana lectione addere licet, & Verſionem metricam Juvenci ſic eam verſu reddentis:

*Terrenum corpus terreno corpore natum eſt.*
*Spiritus haud aliter ſimilem generat ſibi flatum.*
*Spiritus hic Deus eſt, cui parent omnia mundi.*

Antequam verò ab additionibus ad alia in hoc Codice animadvertenda tranſeamus, ex hujus clariſſimi Chriſtiani Poëtae Paraphraſi lectionem illam ſtatuemus, quae occurrit in Evangelio ſecundum Matthaeum col. 329. in qua pro Vulgatae verbis: *Exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei*: habemus in noſtro Exemplari: *Et induerunt eum tunicam purpuream, & clamydem coccineam circumdederunt ei.* Ita legiſſe Veteres ante Sanctum Hieronymum docet Juvencus canens:

*Purpureamque illi tunicam, chlamydemque rubentem*
*Inducunt.*

Inſuper Clariſs. V. Joſeph Antonius Saxius Ambroſianae Bibliothecae, & Collegii noſtri Praefectus eruditione celeberrimus inſignem apud ſe habet MS. Codicem pergamenum, qui omnium, quos hactenus vidimus, Ambroſiani Ritus Miſſas continentium vetuſtiſſimus eſt, conſcriptus enim cenſetur Saeculo IX. vel forſitan VIII. Quoniam verò, ut paſſim in hujuſmodi ſacrae vetuſtatis reliquiis ſolet evenire, haud pauca hujus Apographi Miſſalis folia praeſertim in principio interiere, ſupplevit quae deſunt recentior quidam Librarius Saeculo XIII. quod ſiglarum forma indicat. In hoc ſupplemento occurrit inter alia additamentum quoddam, quod Euſebianus Codex noſter exhibet in Evangelio ſecundum Lucanum col. 796. & ſeq. ubi legitur: *Dixit autem ad illum* (Joannem ſcilicet) *Jeſus: Sinite illum, &*

*nolite prohibere . Qui enim non eſt adversùs vos , pro vobis eſt . Nemo eſt enim , qui non faciat virtutem in nomine meo , & poterit malè loqui de me .* In Miſſali verò Doctiſſimi Saxii in Feſto S. Romani Martyris , quem Ambroſiana Eccleſia XIV. Kal. Decemb. colit, proponitur Evangelium ſecundum Lucam; ubi haec verba Domini ad Joannem ſic habemus : *Sinite eum , & nolite prohibere . Qui enim non eſt adversùm vos , pro vobis eſt . Nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo , & poterit malè loqui de me .* In eodem Feſto S. Romani legit nunc Eccleſia Ambroſiana Evangelium deſumptum ex Cap. IX. ſecundum Marcum, ut videre licet in Miſſali impreſſo anno MDCXL. juſſu Caeſaris Cardinalis Montii Archiepiſcopi, ubi in fine juxta Vulgatum Textum ipſius S. Marci ferè ſimilia habentur . Hujuſcemodi certè mutatio , quantùm conjicimus , facta eſt ab Eccleſia Mediolanenſi ne vel tranſverſum digitum , ut par eſt , a Vulgata Sacri Textus Lectione poſt Tridentinum Canonem in publica Evangelii pronunciatione recederet ; nihilominus tamen id ſaltem nobis praeſtat vetus ille Miſſalis Codex , ut doceamur additamentum , de quo agimus , in eadem Eccleſia ad XIII. Saeculum perduraſſe etiam in Evangelio ſecundum Lucam, in quod fortaſſe, ut non ſemel in aliis accidit, Librarii Antehieronymiani illud ex Marco tranſtulerant . Alia quaedam hujuſce generis exhibet Codex Clariſs. Saxii , quae tunc promenda in lucem reſervamus , cùm typis trademus quae de Ambroſiana Liturgia jubente Eminentiſſimo Cardinali & Archiepiſcopo Joſeph Puteobonello conſcribimus .

Cùm igitur & Characteris forma vetuſtiſſima ſit , & ex illarum Notarum genere , quas Clariſs. Mabillonius ſecundae aetatis Romanas appellavit in Opere ſuo de Re Diplomatica , cùm plurima ſint in hoc Euſebiano venerabili Codice , unde aetas illius Antehieronymiana liquidò comprobatur , nullus jure ambigere poſſe videtur de Traditione Vercellenſis Eccleſiae , quae ſacrum hoc Monumentum Sancti Patris ſui manu conſcriptum fuiſſe ſemper credidit , & credit . Quam quidem Traditionem confirmat teſtimonium Scriptoris Anonymi Actuum ipſius Beatiſſimi Martyris

ris Euſebii, (verba jam ſupra allata ſunt) cujus Opuſculum in vetuſtiſſimo Codice Monaſterii Nonantulani ſe reperiſſe Ferdinandus Ughellus in ſua Italia Sacra Tom. IV. in Epiſcopis Vercellenſibus teſtatus eſt, credid itque ſe omnium primum in vulgus emiſiſſe, editum tamen fuerat jam anno MDV. in Breviario Euſebiano ad uſum Vercellenſis Eccleſiae Venetiis impreſſo per Bernardinum de Liſona. Eadem inſuper Acta vidimus in Tabulario locupletiſſimo ipſius Vercellenſis Baſilicae in Codice MS. pergameno, cujus aetas annos mille excedit, & altero recentiore Bibliothecae Ambroſianae Saeculi XI. in quo poſtremo praeſertim multò correctius eſt Opuſculum, quàm in Nonantulano, niſi in editionem Ughelli Typographorum incuria errores invexerit. Habemus in antiquiſſimis hiſce Actis & Sanctum Praeſulem Euſebium quatuor Evangeliorum Codicem propria manu exaraſſe, & Sacroſanctum Volumen in Baſilica Vercellenſi aſſervatum divinis prodigiis clareſcere, quorum oculatum teſtem ipſe Auctor ſe prodit, nam ait: *Cujus miraculum in eodem Codice IV. Evangeliorum, non ſolùm verbis Chriſti, ſed & ejuſdem Patris tanta virtus coruſcat, ut ſi aliquis ſeductus a Diabolo, falſum ſuper eum ſacramentum fecerit, citiùs ſuper eum plaga corporis oſtenditur &c.* vel ſaltem innuit ea prodigia tempore ſuo accidere, ſacrumque Codicem apud Vercellenſes Canonicos tunc cuſtodiri. Perſeverabat hujuſcemodi traditio ſeculo nono, quod ſatis comprobat Berengarii Regis in venerabili Volumine jam vetuſtate ſoluto reparando, & exornando munificentia. Perſeverabat ſequenti ſaeculo decimo ut patet ex teſtimonio Attonis Vercellenſis Eccleſiae Epiſcopi ad eam Sedem evecti poſt Norgandum anno Chriſti Redemptoris DCCCCXLV. ejuſque verba jam ſuperiùs ſunt recitata. Accedat hiſce traditionis teſtibus Auguſtinus Ferrerius & ipſe Vercellenſis Antiſtes, qui ſaeculo decimoſexto ineunte eam regens Eccleſiam detractum ex Sacroſancto Codice folium unà cum Martyrii inſtrumento, lapide ſcilicet, Helvetiis Oratoribus Sancti Euſebii Magni reliquias ad ſacrum Templum in Lauſanenſi Dioeceſi ipſi dicatum transferendas poſcentibus tradidit. Licet enim Ferrerius Praeſul arbitratus fuerit venerabile Volumen anno Redemptionis noſtrae

CCCLXXI. conſcriptum a beatiſſimo Martyre, quod quàm ſit a veritate alienum jam oſtendimus (hìcque adhuc negamus, cùm annus ille poſtremus Euſebio fuerit, & multò ante jam Evangelia exaraſſet) tamen conſtanter credebat Codicem ideo veneratione dignum, quòd Euſebium ipſum Scriptorem habuiſſet, & de ipſius Codicis identitate minimè ambigebat.

Et hoc quidem Ferrerii Epiſcopi factum probare non poſſumus, cùm abſque indignatione Eruditorum nemo id audire queat, ſed tamen danda venia homini amplificandi tanti Martyris cultus ſtudioſiſſimo, praecipuè cum ea tempeſtate nondum detectum fuiſſet ſacroſanctum Euſebii corpus (quod contigit Vercellenſem Eccleſiam adminiſtrante Joanne Franciſco Bonomio S. Caroli Borromaei Diſcipulo, & Imitatore egregio) ut ex ejus venerandis oſſibus, vel cineribus quid poſſet rogantibus elargiri; neque deeſſent exempla aliorum Praeſulum, qui ſacrorum hujuſmodi Monumentorum partes reliquiarum loco donarent. Inter caeteros Nicolaus Patriarcha Aquilejenſis anno ſalutis MCCCLV. quemadmodum refert poſt Clariſſimos Continuatores Bollandi ad diem XXV. Aprilis in Commentario praevio ad Acta Sancti Marci Evangeliſtae §. II. n. 8. Doctiſſimus Vir Joannes Franciſcus Bernardus Maria de Rubeis Ord. Praed. in Monumentis Eccleſiae Aquilejenſis Cap. II. n. 2. & ſeqq. ex Codice vetuſtiſſimo, qui Evangelii S. Marci Autographum Exemplar credebatur, in Eccleſia ſua ſervato quaternos, ut vocant, duos ultimos exſecuit, & Carolo IV. Romanorum Regi id magnis precibus expoſcenti largitus eſt. Quod donum tanti habuit Auguſtus, ut folia illa *in tabulis certis auro, gemmis, margaritis pretioſis mirabiliter, & magnificè ornatis repoſuerit*, atque Erneſto Archiepiſcopo, & Capitulo Metropolitanae Eccleſiae Pragenſis laetus miſerit, ut ibi debitus tanto pignori cultus impenderetur. Quid mirum ergo ſi Auguſtinus Ferrerius, ejuſque Vercellenſe Capitulum, viſis Literis Principis ſui hoc ab eis poſtulantis ut Helvetiis Oratoribus fieret ſatìs, ne eorum vota irrita forent, folium ſacri Codicis duxerint ipſis donandum?

Atque oh utinam unicum hoc ſenſiſſet detrimentum Codex noſter! Alia inſuper ablata ſunt folia, quemadmodum ſuis adnotavimus locis, immo tres poſtremae Evangelii ſecundum Marcum columnae in ipſo Volumine adeo diverſi ſunt a reliquo characteris, ut ſtatim primo aſpectu quodammodo clament ſe Euſebii manu conſcriptas non fuiſſe; quapropter eas additamentum potius exiſtimamus ſaeculi noni exeuntis, tunc videlicet adjectum cùm Berengarius Rex ſolutum antiquitate Codicem reparandum curavit. Caeterùm columnae ipſae poſtremae, de quibus agimus, certiſſimè poſthieronymianis temporibus ſunt exaratae, cùm omnino exhibeant Vulgatam Editionem, qua nunc utitur Eccleſia Catholica, ſi perpauca excipias, quae adnotavimus.

Si tamen integrum ſaltem hoc loco haberemus Volumen, fortaſſe obvium foret decidere an pars illa Evangelii ſecundum Marcum, quae in hodierna Vulgata legitur in Capite poſtremo a verbis illis: *Surgens autem manè primâ Sabbathi*: uſque ad finem ipſius Capitis in Ciſalpinae Galliae Eccleſiis recepta foret ea tempeſtate, qua Sanctus Pater noſter Euſebius erat inter mortales. Etenim, teſtante Sancto Hieronymo ad Helbidiam qu. 3. & Sancto Gregorio Nyſſeno Orat. II. de Reſurrectione, in pluribus Exemplaribus tam Graecis, quàm Latinis, eis viventibus praedicta verba deſiderabantur. Quapropter Bernardus Lamius in Apparatu Biblico, ſive Manuductione ad Scripturam Sacram Lib. II. Cap. 2. triplicem ſtatuit Sacrorum Librorum ordinem hiſce verbis: *In primo reponunt* (nimirum Sixtus Senenſis, & Bellarminus) *Libros, de quorum authoritate nulla unquam fuit inter Catholicos homines diſceptatio. In ſecundo cenſentur ii, quorum non aequè certa & explorata eſt authoritas.* Mox poſt pauca inquit: *In novo Teſtamento cenſentur ſecundi ordinis Marci Caput ultimum &c.* Probabiliùs tamen cenſendum eſt haec verba ex Evangelio Marci exſcripta fuiſſe a beatiſſimo Praeſule in Codice ſuo, quod conjicimus ex Diplomate Nicolai Patriarchae Aquilejenſis, quod poſt Joannem Petrum de Ludewig rurſus publici juris fecit Eruditiſſimus de Rubeis in Monumentis Eccleſiae Aquilejenſis Cap. II. §. V. In eo enim Diplomate deſcribens partem poſtremam foliorum, quae

ut

ut paulò ante dicebamus, ex Evangelico vetuſtiſſimo Codice, qui Autographus S. Marci credebatur, abſtracta Carolo Auguſto ſacri muneris loco fuerat elargitus, ita Nicolaus teſtatur: *Finis autem talis eſt*. Illi autem profecti praedicaverunt ubique, cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Amen. *In cujus rei teſtimonium &c.* Quamvis enim Codex ille jure in dubium revocetur utrùm S. Marci manu fuerit conſcriptus; certiſſimè tamen adeo vetuſtus eſt, ut inter Antehieronymianos merito computetur; adeoque oſtendit jam in Italia eam Evangelii partem ante Sancti Hieronymi aetatem pro vera, & canonica fuiſſe habitam, prout ipſam pro legitima amplexi ſunt S. Irenaeus Lib. III. Cap. XI. Euſebius in Demonſtrat. Evangelica; Ammonius in Monoteſſaro, & S. Athanaſius in Synopſi. Eadem inſuper extat in vetuſtiſſimo Codice MS. Corbejenſi, quemadmodum etiam in Apographo S. Gatiani Turonenſis.

Permulta quoque in Euſebiano Codice ita temporis edacitatem ſenſere, ut literarum formae penitus evanuerint; ideoque nullo pacto, vel ratione legi poſſint. Ea punctis quibuſdam lineas efformantibus exhibere neceſſe fuit, ut & lacunas indicaremus, & verſuum & paginarum, immo & verborum numerus ſibi conſtaret. Sed & praedictas Evangelii ſecundum Marcum recentiore manu, & minutioribus literis additas, minutiore charactere exprimendas curavimus columnas, ut hac etiam in re Lectoribus ſatisfieret, eorumque oculis ipſa ſacroſancti Voluminis ſpecies exhiberetur.

Et haec quidem de Auctore, & Antiquitate ſacri hujus Codicis dicta ſint; nunc verò noſtrum eſſe arbitramur monere Lectores candidos, ut cùm in eo perlegendo incident in voces quaſdam, in queis Graecorum more *v* pro *b* invenient, ut *davitur* pro *dabitur*, ac hujuſce generis alia, quae non pauca ſunt, meminerint haec obvia eſſe in aliis pervetuſtis Exemplaribus, quod in ea palaeſtra vel modicum initiati non ignorant. Audiendus hac de re iterum ſupra laudatus Struvius de Criteriis Manuſcriptorum §. XVII. *Immutationes praeterea vel tranſpoſitiones literarum non infrequentes erant C in G, F in E, D in L, I in E, vel alia immutando, loco V etiam ponendo OV, cujus exempla ſaepiùs*

*in*

*in nummis occurrunt*, *& plura adducit Scioppius de Arte Critica pag.* 39. Si quis autem hujus rei in antiquis Apographis majora fortaſſe cupit lumina, adeat Clariſs. Blanchinum in Epiſtola ad Garbellium inter Vindicias edita Tom. I. pag. ccxvii. ibi enim multa conſcripſit Eruditiſs. Vir ad hanc ſcribendi rationem pertinentia e puriſſimis fontibus hauſta, quae haud modicum lucis hac in arena verſantibus afferunt. Verumtamen cùm perſaepe occurrant in Codice noſtro nonnulla, quae Grammaticorum leges violare videntur, ut propterea non defuturos praevideamus, qui in Evangelicum iſtud Volumen linguas acuant ex illorum ſcilicet numero, qui Priſcianum ſummis tantummodo labris deguſtarunt, ſeque idcirco Minervae componere audent, & velut e tripode Oracula ructant; quaedam hac etiam de re duximus nobis eſſe differenda; praeſertim cùm ut plurimum hujuſcemodi ſcioli eos inter numerentur, & abundent, qui a Catholicae Matris Eccleſiae communione abhorrent. Quale ſit hominum hujus farinae ingenium novimus ex Reſcio in Atheiſ. pag. 17. cùm in Evangeliſtas quoque inſurgere auſi fuerint. Inquit enim Reſcius: *Beza Lucae Evangeliſtae ſoloeciſmos objicit*; *ubi enim Lucas loquitur de Sanguine Domini*, quod pro vobis effundetur, *ait Beza*: *Cum haec verba neceſſariò non ad Sanguinem*, *ſed ad poculum pertineant*, *neque tamen de vino*, *neque de poculo intelligi poſſunt*, *aut manifeſtum eſt ſolaecophantes*, *aut ex margine in ſcriptum irrepſerunt*. Et Beza ipſe in Annotationibus Novi Teſtamenti Genevae: *Neque cauſam video cur ſolaecophantes Lucas uſurparet*. Vetus eſt non Haereticorum modò, ſed Ethnicorum quoque in divinos Codices querela, quòd in eis barbarus ſit ſtylus, & aliquid perſaepe inveniatur contra Syntaxeos regulas peccatum. His tamen omnibus optimè reſpondit Arnobius Lib. I. adversùs Gentes, cujus verba cùm integram rem perficiant, quamvis longiuſculum ſit tanti Viri teſtimonium, hìc lubet exſcribere: *Sed ab indoctis hominibus*, *& rudibus ſcripta ſunt*; *& idcirco non ſunt facili auditione credenda*. *Vide ne magìs haec fortior cauſa ſit*, *cur illa ſint nullis coinquinata mendaciis*, *mente ſimplici prodita*, *& ignara lenoniciis ampliare*. *Trivialis & ſordidus ſermo eſt*. *Nunquam enim veritas ſectata*

*ctata eſt fucum, nec quod exploratum & certum eſt circumduci ſe patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones, Enthymemata, Definitiones, omniaque illa ornamenta, quibus fides quaeritur aſſertionis, ſuſpicantes adjuvant, non veritatis lineamenta demonſtrant. Caeterùm qui ſcit, quod ſit illud quod dicitur, nec deffinit, nec colligit, nec alia ſectatur artificia verborum, quibus capi conſueti ſunt audientes, & ad conſenſum rei circumſcriptionis neceſſitate traduci. Barbariſmis, ſolaeciſmis obſitae ſunt, inquit, res veſtrae, & vitiorum deformitate pollutae. Puerilis ſanè, atque anguſti pectoris reprehenſio: quam ſi admitteremus, ut vera ſit, abjiciamus ex uſibus noſtris quorundam fructuum genera, quòd cum ſpinis naſcuntur, & purgamentis aliis, quae, nec alere nos poſſunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter antecellit, & ſaluberrimum nobis voluit eſſe natura. Quid enim officit, quaeſo, aut quam praeſtat intellectui tarditatem, utrumne quid grave, an hirſuta cum aſperitate promatur? inflectatur quod acui, an quatiatur quod oportebat inflecti? aut quia minùs id quod dicitur, verum eſt, ſi in numero peccetur, aut caſu, propoſitione, participio, conjunctione? Pompa iſta ſermonis, & oratio miſſa per regulas, concionibus, litibus, foro, judiciiſque ſervetur, deturque illis immò, qui voluptatum delinimenta quaerentes, omne ſtudium ſuum verborum in lumina contulerunt. Cùm de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quod dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amoenitate dicatur; nec quid aures commulceat, ſed quas afferat audientibus utilitates; maximè cùm ſciamus etiam quoſdam ſapientiae deditos, non tantùm abjeciſſe ſermonis cultum; verùm etiam cùm poſſent ornatiùs, atque uberiùs eloqui, trivialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne corrumperent ſcilicet gravitatis rigorem, & ſophiſtica potiùs oſtentatione jactarent. Enimvero diſſoluti eſt pectoris in rebus ſeriis quaerere voluptatem: & cùm tibi ſit ratio cum malè habentibus, atque aegris, ſonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus exhibere.* Preſſiùs tamen idem Arnobius cit. loco ſciolis reſpondet hiſce verbis: *Nullus ſermo natura eſt integer, vitioſus ſimiliter nullus. Quaenam eſt enim ratio naturalis, aut in mundi conſtitutionibus lex ſcripta, ut hic paries dicatur, & haec ſella? cum neque ſexus habeant foemininis generi-*

*neribus, maſculiniſque diſcretos, neque quiſquam docere doctiſſimus me poſſit, ipſum hic, & haec quid ſint, aut cur ex his unum ſexum virilem deſignet, foemininis generibus id quod ſequitur applicetur. Humana iſta ſunt placita, & ad uſum ſermonis faciendi non ſanè omnibus neceſſaria. Nam & haec paries forſitan, & hic ſella dici ſine ulla reprehenſione potuiſſent, ſi ab initio ſic dici placuiſſet, & a ſequentibus ſaeculis communi eſſet in ſermocinatione ſervatum. Et tamen, o iſti, qui pollutas res noſtras vitiorum criminamini foeditate, ſtribiligines & vos iſtas Libris illis in maximis atque admirabilibus non habetis? Nonne alius haec utria, alius dicit hos utres? coelus, & coelum? non item filus, & filum? non item crocus, & crocum? non item fretus, & fretum? non item apud vos eſt poſitum hoc pane, & hic panis? hic ſanguis, hoc ſanguen? candelabrum & jugulum ratione eadem jugulus, & candelaber? Nam ſi ſingula nomina non poſſunt genera plura habere, quàm ſingula: neque eadem poſſunt hujus eſſe generis, & illius, genus enim tranſire genus in alterum non poteſt, tam peccat qui genera maſculina foemininis pronunciat legibus, quàm ab eo peccatur, qui articulos maſculinos foemininis generibus anteponit. Atqui vos conſpicimus & res maſculinas foemininè, & foemineas maſculinè, & quas eſſe dicitis neutras, & illo, & hoc modo ſine ulla diſcretione depromere. Aut igitur nulla eſt culpa indifferenter his uti, & fruſtra nos dicitis ſoloeciſmorum obſcenitate deformes: aut ſi certum eſt ſingula quibus debeant rationibus explicari, in ſimilibus vitiis vos quoque verſamini; quamvis Epicadios omnes, Caeſellios, Verrios, Scauros teneatis, & Niſos.*

Verumtamen cùm Sacri Evangeliorum Codices vel ex Hebraeo, vel ex Graeco ſermone in Latinam converſi linguam fuerint, plura, quae errata primâ fronte videntur, non ſoloeciſmi cenſenda ſunt, ſed vel Hebraiſmi, vel Helleniſmi. Caeterùm in divinis Voluminibus non verborum corticem, ſed ſenſuum medullam contemplari debent Chriſti cultores. Sanè Maretus, quo nullus magìs in Ciceronis verba juraverat, eorum tamen aequiſſimo jure importunam carpit curioſitatem, qui Religionis noſtrae aſſerta non aliis audent quàm puris putis Latinis verbis exprimere. Scribit enim: *Uſque eò antiquitatis ſtudioſi ſunt, ut voces quo-*

*que Chriſtianae Religionis proprias fugiant*, *&* *in earum locum alias ſubſtituant*, *quarum nonnullae etiam impietatem olent*; *qui non* Fidem, *ſed* Perſuaſionem, *non* Sacramentum Corporis Dominici, *ſed* Sanctificatum cruſtulum, *non* excommunicare, *ſed* diris devovere, *non* Angelos, *ſed* Genios, *non* baptizare, *ſed* abluere *dicunt*; *aliaque eodem modo depravant*, *qui*, *ut opinor*, *niſi ſibi metuerent*, *etiam pro* Chriſto Jovem optimum maximum *dicerent*: *eſt enim magìs Ciceronianum*. Cave igitur, optime Lector, quos in hoc pervolutando Codice grammaticales errores repereris, Magno Euſebio tribuas, quem & Latinis, & Graecis literis doctiſſimum nobis oſtendunt & quae ipſe conſcripſit Opera, & quae ab aliis conſcripta vel expurgavit, vel tranſtulit; Pſalmorum enim Origenis Commentarios emendavit, & Euſebii Caeſareenſis Latio reddidit. Id etiam teſtantur ſaepè ſuperiùs citata illius Acta, ubi de ipſo adhuc adoleſcente, necdum ſacris Ordinibus initiato haec habentur: *Dum floreret verò vir beatus Euſebius Fide Chriſti & ope*, *inſtructus eſt ſapientiâ artium liberalium*, *& Sacram Scripturam intelligens docebat*. *Nam quantùm aetate plus provectus eſt*, *terque quaterque ſapientiâ*; quibus ex verbis cuique compertum eſſe poteſt adeo eruditum fuiſſe a prima adoleſcentia Magnum Euſebium, ut fieri nullo pacto poſſit eum in barbariſmos, & ſoloeciſmos incidiſſe, quibus identidem Codex iſte ſcatet.

At quem tandem habent Auctorem, ſi Euſebio haec tribuenda non ſunt? Reſpondebo breviſſimè. Jam pridem invecta fuerat in Evangelicos priſcae Verſionis Codices hujuſcemodi rubigo, eamque nondum Eccleſia detergendam curaverat, quod aliquot poſt annos praeſtitit juſſu Damaſi Sanctus Hieronymus. Cùm igitur Codicem ſuum ſcriberet beatiſſimus Praeſul Euſebius, utpotè ſummae humilitatis Vir, nihil ſibi licere arbitratus eſt abſque Eccleſiae auctoritate in Apographo ſuo immutare; adeout, quamvis admirabili praeditus eſſet eloquentia, atque linguarum, & literarum peritie, ac nemo fortaſſe illo aptior ad Evangelici Voluminis correctionem illa tempeſtate viveret, humillimè tamen de ſe ipſo ſentiens, ab omni purgatione ſibi cenſuerit abſtinendum. Quemadmodum enim in antiquiſſimis ſignis, atque num-

nummis aerugo ipſis adhaerens ſi tollatur, vetuſtas ipſa laedi videtur, quae pretium conciliat; ita Sanctiſſimus Euſebius ſibi piaculo duxit grammaticalia ſphalmata e Codice ſuo tollere, quae illud ipſum eo tempore praeſtabant, quod in aereo ſigno a ſe empto Plinius junior in Epiſt. VI. Lib. III. animadvertebat: *A tergo aes ipſum, quantùm verus color indicat, vetus & antiquum.* Qua in re pudorem offudit jampridem noſtrum ſaeculorum Novatoribus ille, qui priorum Haereticos profligavit Euſebius, tam religiosè Evangelium Chriſti exſcribens, ut ne verba quidem immutaverit, in queis Syntaxeos regulas quandoque laeſas offendebat; dum hi tantùm ſibi tribuunt interim, ut ſibi privatis liberum arbitrentur in divinis Voluminibus & verba, & ſententias pro ingenii libidine invadere, tollere, permutare. Sciebat profectò Euſebius quod poſtmodum ſcripſit Sanctus Ambroſius Lib. I. Comment. in Lucam in illa verba: *Agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſina praeſepe Domini*; inquiens: *immo* praeſepium *dixerim, ſicut ſcripſit qui tranſlulit: nihil enim apud me diſtat in verbo, quod non diſtat in ſenſu. Nam ſi Orator illorum, qui phaleras verborum ſequuntur, neget in hoc poſitas eſſe fortunas Graeciae, hoc, an illo verbo uſus ſit, ſed rem ſpectandam putat. Sed ipſi Philoſophi eorum, qui totas dies in diſputatione conſumunt, minùs Latinis, & receptis uſi ſermonibus ſunt, ut propriis uterentur: quantò magìs nos negligere verba debemus, ſpectare myſteria, quibus vincit ſermonis vilitas, quod operum miracula divinorum, nullis venuſtata ſermonibus, veritatis ſuae lumine refulſerunt.* Cui conſonant illa etiam, quae habet Sanctus Auguſtinus Lib. II. de Conſenſu Evangeliſtarum Cap. XXVIII. *Neque miſeri aucupes vocum apicibus quodammodo literarum putent ligandam eſſe veritatem, cùm utique non in verbis tantùm, ſed etiam in caeteris omnibus ſignis animorum, non ſit niſi ipſe animus inquirendus.*

Et hanc quidem, qua uſus eſt Sanctus Pater noſter Euſebius in Codice ſuo conſcribendo, diligentiam apud Sanctiſſimos alios Epiſcopos olim fuiſſe teſtantur vetuſti, qui adhuc poſt tot ſaecula ſuperſunt, illorum manu exarati Evangelici Textus; in queis non rarò multa reperiuntur, quae Grammaticorum repugnant placitis.

tis. Conſueverant optimi Praeſules ſacratos Libros ideo propriis manibus ſcribere, ne ſcilicet Librariorum incuria in eos a vetuſtis alienum Autographis quid inferret; vel ſciolus aliquis divina corrumperet Oracula, dum emendare ſibi liberum putaret, quod minus accuratis vocibus in eis erat expreſſum. De Sancto Hilario Pictavienſi Euſebii noſtri Synchrono, & in Arianorum impugnatione Collega nonnulla ſuperiùs ex Clariſs. Garbellio dedimus, eum nimirum Evangeliorum Volumen manu ſua deſcripſiſſe; ſcribitque Fortunatus ad rem noſtram in ejus Actis: *Dum ſuperſtes fuit in ſaeculo, aut ſcripſit Eccleſiaſticae Fidei documenta, aut pugnando calcavit haeretica crimina, aut petenti tribuit miraculorum ſuffragia*. Quid autem intellexerit Fortunatus per illa verba: *Scripſit Eccleſiaſticae Fidei documenta*: praeter Opera eruditiſſima, quae omnium teruntur manibus, omnium praeconiis celebrantur, illud etiam ſignificari cenſemus, Hilarium Sacra Divinae Scripturae Volumina, Evangelia praeſertim exaraſſe. Id evincit ab eodem Garbellio Viro doctiſſimo citatus Codex, qui ex ſupremis Tabulis Sancti Perpetui Turonenſis Epiſcopi anno Chriſti CCCCLXXIV. confectis, quaeque extant in Tomo V. Spicilegii Lucae Dacherii, Euphronio Auguſtodunenſi Praeſuli legatus reperitur. In eo etenim Teſtamento memoratur Liber Evangeliorum, *quem ſcripſit Hilarius Pictavienſis quondam Sacerdos*. Sanctus quoque Anſcharius Bremenſis Antiſtes ſequioribus ſaeculis (ad eam etenim dignitatem evectus eſt anno reparationis humanae DCCCXXXIII.) ſacros Codices ſuis ipſe manibus deſcripſiſſe fertur teſte Gualdone Monacho Corbejae Veteris in ejus Vita metro compoſita, quam ex MS. Pariſienſi S. Germani de Pratis vulgarunt ad diem III. Februarii Viri Clariſs. Continuatores Bollandi. Ibi Cap. XV. haec leguntur:

*Quàm ferens in amore Dei fuit & ſtudioſus*
*Indicio libros, quos ipſe notavit, habemus,*
*In quibus Omnipotentis laus aeterna reſultat.*

Sed & Sanctus Rembertus ejus in Hamburgenſi Archiepiſcopatu Succeſſor Cap. item XV. Actuum ejuſdem Sancti Anſcharii a

lau-

laudatis Sociis Bollandianis in vulgus editorum habet: *Porrò ad devotionem ſibi in Dei amore acuendam quàm ſtudioſus fuerit, teſtantur Codices Magni apud nos, quos ipſe propriâ manu per notas conſcripſit*. Quid autem hiſce Libris comprehenderetur Gualdo in ſuperioribus Carminibus ſatis explicare videtur, nimirum ut eis ſacra contineretur Oracula, undè Omnipotentis gloriam omnes agnoſcunt, & concelebrant.

Accedebat & alia ratio, cur etiam inter Epiſcopales curas, & perpetua pro Orthodoxiâ tuendâ cum Haereticis praelia, id ſibi laboris aſſumerent beatiſſimi Antiſtites, ut in exſcribendis divinis Voluminibus non modicum temporis inſumerent, ne ſcilicet, ut ſemper in more habuerunt inimici hominis miniſtri, bono ſemini ſuperſeminarent zizania, erroreſque ſuos in agro dominico ſererent, ſacris Oraculis impia teoremata commiſcentes, vel, quemadmodum ſupra innuimus, illa abraderent, quibus eorum ſacrilegia, & nefanda dogmata in Evangelicis, aliiſque divini foederis paginis palam coarguebantur. Et quidem Praeſules vigilantiſſimos ab Apoſtolis, quorum ſucceſſores non ſolùm erant officio, ſed & virtute, hoc didiciſſe compertum eſt; ex Apoſtolis enim nonnullos Evangelii ſacros Codices ſuis exſcripſiſſe manibus vel ſolum Barnabae oſtendit exemplum, quod jam in Joannis Stephani Ferrerii Vercellenſis Eccleſiae quondam Epiſcopi verbis prolatum fuit; etenim vel mortuus Volumen Evangelii ſecundum Matthaeum, quod ipſe exaraverat, pectori impoſitum habebat in tumulo, ubi corpus ejus in Inſula Cypro repertum eſt primò. In hac porrò Sacrorum Codicum exſcriptione quis ambigat Summos illos, & ſaeculorum omnium laudibus dignos Viros omnem adhibuiſſe diligentiam, ut nihil ab Autographis Eccleſiae ſuae diverſum in Apographos Codices induceretur?

Baronius, atque alii ex Sozomeni Lib. I. Cap. II. de Viro Sanctiſſimo Spyridione Tremithuntis in Cypro Inſula Epiſcopo, qui inter eos floruit Confeſſores inclytos, quos Maximinus pro Chriſti Fide dextro oculo effoſſo, & ſiniſtro poplite ſucciſo ad metalla damnaverat; cùmque Sardicenſi Concilio anno CCCXLVII. celebrato ex S. Athanaſio Apologia II. interfuerit, Euſebii

bii noſtri Synchronus extitit, haec enarrant: *quod* poſt Synodum quamdam Cypriorum Epiſcoporum, *cùm Collecta celebraretur, rogatus Triphyllius* (erat is Ledrorum Epiſcopus profanae elocutionis ſtudioſiſſimus) *ut concionaretur ad populum, cùm neceſſe haberet in medium adducere dictum illud Salvatoris*: Tolle grabatum tuum, & ambula: *mutato nomine, pro* Grabato, Scimpodium *dixit. At Spyridion, indignatione commotus*; Num tu, *inquit*, praeſtantior es eo, qui Grabatum dixit, ut te pudeat ejus verbis uti? *Quo dicto ex Epiſcopali Solio exiliit ſpectante populo; hominem eloquentiae cauſa inſolentiùs ſe efferentem hac ratione ad modeſtiam revocans*. Qua profecto increpatione nos docemur quantùm vigilantiae ineſſet beatiſſimis illis Eccleſiae Antiſtitibus cùm de ſacris Codicibus, Evangelioque praeſertim conſcribendo ageretur, ſi tantam vel in dicendo etiam ex tempore diligentiam in Oratoribus requirebant, ut ne Synonimis quidem eos uti paterentur, ſed ea quae ex divinis citabantur Oraculis ipſiſſimis verbis recitari juberent.

Congruum nunc eſſe judicamus, ut de loco etiam, ubi Sanctiſſimus Pater Euſebius ſacrum exaravit Codicem, aliquantulum diſſeramus; non parva etenim in Monferratenſes meos redundat gloria ex eo quod in Regionis noſtrae apricis amoeniſque collibus Athleta Chriſti fortiſſimus diù commoratus venerabile Volumen ibidem ſcripſerit. Haud ſcio undè Joannes Stephanus Ferrerius, vir licet doctiſſimus, & Vercellenſis Eccleſiae adminiſtrationem merito nactus illa hauſerit, quae de loco aſſerit, de quo nunc diſputamus; ait nempe, ut ſupra jam legimus in Epiſtola doctiſſimi Canonici Ruggerii: *Conſtans traditio eſt, eum non modò ad occaſionem tollendam, qua populus Arianâ invidiâ ſeductus in eum peccaret; ſed etiam ardenti ſtudio vacandi ſibi, & Deo receſſiſſe in montes Oupae Bugellenſis ditionis, & ultra Padum ad Caſtrum Credonenſe tunc Dioeceſis Vercellenſis, diverſis temporibus; ut qui tot curis juvandorum aliorum gratiâ diſtinebatur, haberet ubi ſubinde ſe colligeret, ac ſpiritum e Coelo attraheret, majoreſque ei ad Dei gloriam provehendam vires ſuppeterent. Legitur enim in eadem Vita Manuſcripta Euſebium, dum in his locis religioſis, & ſanctis moraretur,*

*retur*, *ſuâ ipſius manu quatuor Evangelia ſcripſiſſe &c.* Seceſſum quidem beatiſſimi Patris in montes Bugellenſes, ubi ad haec uſque tempora colitur Deiparae Virginis Imago miraculis celeberrima, ultro fatemur; ſed cum Bugellenſibus gloriam Monſerratenſes dividere indignantur, ſeque ſolos locum ſanctiſſimum poſſidere gaudent, ubi Clariſſimus Martyr Evangelia ſcripſit. Acta etenim illa Manuſcripta vetuſtiſſima Sancti Euſebii de Bugellenſibus montibus ſilent omnino, cùm de hoc Codice verba faciunt; ibi namque habemus, ut etiam Eruditiſſimus Blanchinus adnotavit: *Pugnabat autem contra immaniſſimas beſtias Arriomanitas, quae eum expulerunt de Civitate, perſecutione populi contra eum excitatâ; at ille ne populus in eum peccaret, quos poſtea delectabatur habere filios, ſciens ſcriptum*: Si vos perſecuti fuerint in una Civitate, fugite in aliam: *ultra Padum tranſiit, & ad Caſtrum, quod dicitur Credonenſium, perveniens, ibi tribus menſibus degens Beatae Dei Genitricis conſtruxit Oratorium; ubi etiam adhuc longiùs degens Evangelium Chriſti propriâ manu ſcripſit*. Apud Caſtrum igitur Credonenſium, non verò in Bugellenſibus Alpibus ſcripſit Euſebius Sanctiſſimus Evangelium poſt aedificatum tribus menſibus Deiparae Virginis Oratorium longiùs ibidem morâ protractâ teſte vetuſtiſſimo illo Scriptore Actuum, qui tanti habitus eſt, tamque verax, ut ipſius Narratio ab Euſebiana Eccleſia publicè, ut ſupra innuimus, in Solemnitate, & Octava Sancti Patris Euſebii recitaretur.

Perſeverat adhuc in Montisferrati Ditione Oratorium illud, quod Dei Genitrici Virgini Euſebius olim condidit, ubi jam pridem diruto Caſtro, quod per ea tempora Credonenſium appellabatur, ſurgit nunc inſignis Baſilica Sanctae Mariae, quae Cretenſis perperam dicitur, cùm potius ex vetuſtate petito vocabulo, Credonenſis foret nuncupanda. Continens habet ea Baſilica Monaſterium Canonicorum Lateranenſium, quorum Praeſes Abbatis dignitate, & Pontificalibus fulget inſigniis; ac religioſiſſimi Sacerdotes omni pietatis & cultus ſignificatione Deiparam proſequuntur, cujus ſimulacrum in vetuſtiſſimâ Aediculâ haud procul ab Ara maxima Baſilicae ſitâ, & adhuc cum temporis voracitate luctante Euſebius collocaſſe communi Scriptorum teſtimonio, &

po

populorum traditione perhibetur. Editiſſimus Mons, in quo Templum aſſurgit, variis undique ornatus eſt aediculis, in quibus omnia ferè Virginis Matris, & Domini Redemptoris geſta plaſticis ſtatuis, quae ſuperinductis coloribus viventium ſpeciem praeferunt, exhibentur, non abſque piorum illuc e vicinis Urbibus, oriſque circumpoſitis religionis ergò confluentium admiratione, ſanctoque ſolatio. Ad radices verò Montis ipſius, ubi fons e ſaxo profluit, quem Sanctus Praeſul Euſebius non ſine prodigio arentibus hiſce in locis elicuiſſe traditur, Sacellum aſſurgit, in quo expreſſus eſt Antiſtes optimus Arianorum furore ſaxis impetitus tam ſcitè ſculptis ſimulacris, ut intuentes glorioſum Martyris agonem, & furentium beſtiarum impetum ſibi praeſentem contemplari videantur. Occurrit inſuper per majorem commodioremque viam aſcendentibus ad dexteram anguſta quaedam, & per abrupta ſaxorum viſcera deducta ſemita, quam divinitus Euſebium percurriſſe tradunt veſtigiis ejus cedentibus ſcopulis, cujus ad rei monumentum Sacellum aliud poſitum eſt, ubi Epiſcopus beatiſſimus Iconem Virginis flexis genibus colens aſpicitur.

Baſilicam verò pluribus ornavere donariis & Pontifices Maximi, & S. R. Eccleſiae Cardinales, & Montisferrati Principes, quorum beneficentiâ Monaſterium & praediis, & dignitatibus auctum eſt adeo, ut non infimum locum inter alias Regionis hujus religioſas Aedes jure ſibi vindicet. At ſuper caetera Principum munera huic Baſilicae collata eminet vivificae Crucis Ligni pars inſignis, quam in pretioſâ argenteâ auro ſuperinducto Thecâ incluſam Sibylla Jeroſolymorum Regina Guillielmi de Monteferrato, qui cognomine *Longaſpada* dictus eſt, quondam uxor venerabili huic Templo intulit, & in perenne pietatis ſuae teſtimonium ſervari praecepit. Hujus Thecae delineationem hìc apponere placuit ad nos miſſam a Reverendiſſimo, atque humaniſſimo Viro Domno Spiritu Caſtanea Caſalenſi, ejuſdem Sacri Monaſterii Abbate benemerito, id perjucundum Eruditis omnibus futurum arbitrati, plurimumque conducere & ad ſervandam inclytae Principis memoriam, & ad oſtendendum quanti priſcis etiam ſaeculis habitus meritò fuerit Credonenſis Mons Sanctiſſimi Paſtoris Euſebii olim morâ ſacratus.

Vix

Tl

P. LVI.





T.IV



P.LVI.



Vix certè credibile eſt quàm religiosè non Monferratenſes modò, ſed vicinarum quoque Provinciarum populi Montem hunc inviſere conſueſcant, recurrente praeſertim VI. Id. Septemb. Natali Deiparae die, & octo ſequentibus, ut ſpirituales theſauros, culparumque veniam Apoſtolicae Sedis largitione venerabilem locum piè viſitantibus Chriſtifidelibus indultam aſſequantur, & tam Virginis ſimulacrum, quàm Euſebii pedibus calcatam terram, ejuſque morâ, atque prodigiis decorata ſaxa venerentur. Neque Deus Optimus Maximus locum celeberrimum miraculis illuſtrare frequentiſſimis abnuit, quae tam multa ſunt, ut Templi majoris parietes a fundamentis ad fornicem uſque votivis tabellis & antiquiſſimis, & recentibus contecti, ornatique conſpiciantur. Columnas autem decorant loricae plures, & arma bellica, quibus uſos olim praeſertim in Jeroſolymitana expeditione Principes, Majoreſque noſtros fuiſſe vetus traditio docet. At de Sacro Credonenſi Monte, ubi Codex hic noſter Euſebii manu ſcriptus eſt, jam ſatìs dictùm, cùm non deſint, qui de eo multa poſteros ex inſtituto docuerint.

Unum adhuc ad rem omnino perficiendam ſupereſt, ut cùm hactenus de Codice, & ejus forma, antiquitate, Scriptore, & loco, ubi exaratus fuit, diſſeruerimus, quibus e fontibus Notas ad calcem Evangeliorum editas, hauriendas duximus, Lectoribus optimis ſignificemus. Summo nobis hoc in negotio fuit adjumento diligentiſſimus Sacrorum Bibliorum Interpres Domnus Auguſtinus Calmet, cui debere nos fatemur vetuſtiſſimorum Codicum a ſacro Textu Vulgato variantes, ſed cùm noſtro ut plurimum concordantes Lectiones. Eas Vir doctiſſimus edidit poſt Commentaria ſua in Actus Apoſtolorum Tom. VII. Edit. Pariſienſ. in fol. anno MDCCXXVI. Et quoniam permagni intereſt Codicum ipſorum antiquitatem noſſe, ſciant candidi Lectores Exemplar Corbejenſe ſexto ſaeculo conſcriptum ejuſdem Calmet judicio fuiſſe, majoribus literis, & quatuor exhibere juxta Antehieronymianam Verſionem Evangelia, cùmque eo uterentur Volumine Monachi Corbejenſes ad legendum inter Miſſarum Solemnia Evangelium, monet Clariſſimus Editor multis in locis, in Matthaeo praeſertim,

adjectas fuiſſe Hieronymianae Verſionis verba, quae tamen ex atramento recentiore, & literarum ductibus a primaevo charactere diverſis facilè dignoſcantur. De Turonenſi Apographo Sancti Gatiani, & alio Majoris Monaſterii ſcribit idem Calmet priorem quidem Codicem mille annis ab Eruditis donari; alterum verò octingentis. Quod attinet ad Verſionem Italicam Evangelii ſecundum Matthaeum, quam P. Martianaeus e Congregatione S. Mauri Monachus adornavit, aſſerit laudatus Calmet hauſtam eam fuiſſe ex duobus MSS. Exemplaribus, uno ſcilicet Sancti Germani de Pratis aetatem illius non indicans, & alio Corbejenſi, quod tamen ſit ab eo diverſum, cujus ſupra meminimus, cùm annos octingentos non excedat, & Saxonicis, ſive Merovingicis literis fuerit exaratus. Debemus quoque plurimùm F. Lucae Brugenſis laboribus; conſulens enim ille varios Eccleſiarum MSS. Codices, & Orientalium linguarum Verſiones magno nos onere levavit. Quae autem ille magno ſudore collegit habentur edita Londini MDCLVII. in Appendice ad Sacra Biblia Polyglotta, quae Tomum VI. conſtituit. Verſiones demum alias Variantes a Textu Vulgato, quaeve habent cum noſtro Analogiam aliquam, vel omnino conſentiunt ex Sanctorum Patrum, qui vel Sancto Hieronymo antiquiores ſunt, vel ſaltem coaevi, Operibus diligentiſſimè quantùm licuit pervolutatis ipſi deduximus, citatis eam ob rem locis ſingulorum, ne quid ſedulitatis in nobis Lector deſideraret. Qua in re ſi fortaſſe minutiora etiam perſecuti videbimur, cujuſmodi ſunt conjunctiones, & hujus generis alia, meminerint qui nos carpunt, eorum quae Sanctus Hieronymus in Cap. Matth. VI. & Cap. III. Epiſt. ad Epheſios ſcripſit: *Singuli ſermones, ſyllabae, apices, puncta, in divinis Scripturis plena ſunt ſenſibus*. Conſonat Hieronymo Chryſoſtomus nón uno loco; nam Hom. XXVI. in Geneſim habet: *In divinis Scripturis, etiam in parva dictione ſenſuum gravitas, & immenſae inveniuntur divitiae*. Et Hom. XXVIII. item in Geneſim: *Nihil enim in divina Scriptura continetur, quod non aliqua ratione dictum ſit, quae non & latentem in ſe habeat utilitatem*. Et poſt pauca: *Nihil enim in Sacra Scriptura, ſicut dixi, invenire licet, quod abſque ratione*
*ali-*

*aliqua ſit. ſcriptum*. Sanctus etiam Epiphanius in Expoſitione Fidei tantam exigit, & quidem merito, in minutis etiam rebus erga Dei Oracula reverentiam, ut ſic monuerit: *Etenim ubicumque numerus concipitur, oſcitanter praetermitti non debet; neque quod ita comprehenditur vanum quiddam, & inane videri aut otioſum exiſtimari*. Demumque S. Baſilius Magnus Cap. II. Comment. in Eſaïam Prophetam ſic pronunciavit: *Nihil otioſum eſt in Spiritus Sancti verbis*.

Aequi conſulturos confidimus Lectores Eruditos, quòd pretioſum hunc Evangelicum Codicem in publicum protulerimus; quare, ſi hujuſmodi ſtudiis laboribuſque noſtris favere perrexerint, alia habemus jam typis parata ex ditiſſimo celeberrimae Vercellenſis Baſilicae Carthophylacio exſcripta, quibus nedum ipſius Eccleſiae proprius quondam Ritus Euſebianus dictus Doctorum Virorum oculis rurſus exhibeatur, ſed & aliarum Eccleſiarum res Liturgicae illuſtrentur. Interim ne quid Eruditorum commodis in hac Editione deſit, ſubjicimus Indiculum Capitum, in quae diviſa ſunt Evangelia juxta Vulgatae ordinem, indicantes qua columnâ, & lineâ ſingula incipiant, ne illa quaerentes fatigentur.

# SECUNDUM MATTHAEUM.



| | | |
|---|---|---|
| Cap. I. | Col. 1. | lin. 1. |
| II. | 8. | 3. |
| III. | 16. | 11. |
| IV. | 23. | 1. |
| V. | 30. | 18. |
| VI. | 45. | 6. |
| VII. | 56. | 2. |
| VIII. | 64. | 20. |
| IX. | 75. | 11. |
| X. | 87. | 21. |
| XI. | 101. | 7. |
| XII. | 111. | 4. |
| XIII. | 127. | 10. |
| XIV. | 146. | 6. |
| XV. | 156. | 14. |
| XVI. | 167. | 24. |
| XVII. | 177. | 11. |
| XVIII. | 187. | 1. |
| XIX. | 199. | 8. |
| XX. | 209. | 21. |
| XXI. | 222. | 1. |
| XXII. | 239. | 6. |
| XXIII. | 252. | 6. |
| XXIV. | 265. | 9. |
| XXV. | 280. | * |
| XXVI. | 295. | 3. |
| XXVII. | 321. | 1. |
| XXVIII. | 342. | 3. |

# SECUNDUM JOHANNEM.



| Cap. | Col. | lin. |
|---|---|---|
| I. | 349. | 1. |
| II. | 365. | 10. |
| III. | 373. | 13. |
| IV. | 385. | 12. |
| V. | 401. | 21. |
| VI. | 417. | 12. |
| VII. | 440. | 6. |
| VIII. | 456. | 7. |
| IX. | 472. | 5. |
| X. | 484. | 21. |
| XI. | 497. | 1. |
| XII. | 514. | 4. |
| XIII. | 530. | 19. |
| XIV. | 542. | 14. |
| XV. | 552. | 12. |
| XVI. | 561. | 16. |
| XVII. | 572. | 5. |
| XVIII. | 580. | 12. |
| XIX. | 595. | 10. |
| XX. | 611. | 4. |
| XXI. | 620. | 23. |

# SECUNDUM LUCANUM.



| | | |
|---|---|---|
| Cap. I. | Col. 630. | lin. 1. |
| II. | 655. | 6. |
| III. | 673. | 11. |
| IV. | 685. | 7. |
| V. | 701. | 7. |
| VI. | 718. | 6. |
| VII. | 735. | 20. |
| VIII. | 754. | 18. |
| IX. | 777. | 14. |
| X. | 801. | 12. |
| XI. | 816. | 18. |
| XII. | 833. | 17. |
| XIII. | 846. | 1. |
| XIV. | 859. | 14. |
| XV. | 872. | 15. |
| XVI. | 885. | 1. |
| XVII. | 898. | 3. |
| XVIII. | 909. | 14. |
| XIX. | 924. | 20. |
| XX. | 941. | 19. |
| XXI. | 956. | 24. |
| XXII. | 969. | 10. |
| XXIII. | 991. | 3. |
| XXIV. | 1009. | 16. |

# SECUNDUM MARCUM.

| | | |
|---|---|---|
| Cap. I. | Col. 1027. | lin. 1. |
| II. | 1037. | 20. |
| III. | 1048. | 23. |
| IV. | 1060. | 10. |
| V. | 1074. | *. |
| VI. | 1089. | 2. |
| VII. | 1110. | 14. |
| VIII. | 1123. | 15. |
| IX. | 1137. | 24. |
| X. | 1156. | 13. |
| XI. | 1175. | 24. |
| XII. | 1188. | 10. |
| XIII. | 1205. | 1. |
| XIV. | 1217. | 4. |
| XV. | 1241. | 18. |
| XVI. | *. | *. |

Initia Capitum aſteriſco notata vel temporis, vel hominum injuriâ periere.

Die 12. Novembris 1748.

I M P R I M A T U R:

Fr. H. Todeſchini Inquiſitor Generalis Mediolani.

F. Curionus Archipresbyter S. Euſebii pro Eminentiſs. & Reverendiſs. D. D. Card. Archiepiſcopo.

Vidit Julius Caeſar Berſanus pro Excellentiſs. Senatu.

# SECUNDUM MATTHAEUM.

1

LIBER GENE
RATIO - - - - XP̆TI FI
LII DA - - - - LII ABR - -
- - - - - - - - ABRA
HAM - - - - IT ISAAC
- - - - - VIT IACOB
- - - - AVTEM GENVIT
- - - - - - ET FRATRES
- - - - IVDAS AVTEM
- - - - IT PHARES ET ZA
RA DE THAMAR PHA
RES - - - - EM GENVIT ES
ROM . ESROM - - - - GE
NVIT A - - - - - - - -
TEM - - - - IT A - - - -
- - - - - - - - - - -
IT N - - - - - - - AS - - -
AVTEM GENVIT SAL
MON . SALMON AVTĔ.
(a) GENVIT BOOZ . (1) BOOZ
AVTEM GENVIT OBED
EX RVTH . OBED AVT̆.
GENVIT IESSE . IESSE

2

A - - - - - - - - - - -
- - - - - DA - - - - EM
RE - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - ASA AV
- - - - - GENV - - IOSAPHAT
IOSAPHAT - - - - GE
- - - - - - - - - IORAM
AVTEM GENV - - OZIAM
OZIAS AVT - - - - - GENVIT
IOATHAM - - - ATHAM
AVTEM GENVIT ACHAZ
ACHAZ AV - - - M GENV
IT ESECHIAM . ESE
- - - AS AVTEM GENV
IT MANASSEN .
MANASSES AVTĔ.
GENVIT AMON
AMON AVTEM GENVIT
IOSIAM . IOSIAS AVT̆.

(1) Vulgata addit. *de Rabab.*

GENVIT IECHONIAM
ET FRATRES EIVS
IN TRANS - - - - - -
TIONE B - - - - - -
ET POST - - - - - - MI
GRA - - - - - - BILO
NIS IE - - - - - GE
NVIT SALA - - - -
SALATHIEL AVTEM
GENVIT ZOROBA
BEL . ZOROBABEL
AVTEM GENVIT
ABIVD . ABIVD
AVTEM GENVIT
(1) ELIACHIM
ELIACHIM AVTEM
GENVIT AZOR .
AZOR AVTEM
GENVIT SADOC .
SADOC AVTEM
GENVIT ACHIM .
ACHIM AVTEM
GENVIT ELIVD .
ELIVD AVTEM

GENVIT ELEAZAR .
ELEAZAR AVTEM
GENVIT MATTHAN .
MATTHAN AVTEM
GENVIT IACOB .
IACOB AVTEM GENV
(a) IT IOSEPH (2) CVI DE
SPONSATA VIRGO
MARIA GENVIT
(b) IHM QVI DICITVR
XPS .
OMNES (3) ERGO GENE
RA' 'ONES AB ABRA
HA . VSQVE AD
DA VID GENERA
TIONES XIIII.
ET A DAVID VSQVE
AD TRANSMI
GRATIONEM
BABILONIS
GENERATIONES
(4) SVNT QVAT
TVOR
DECIM

---

(1) Vulg. *Eliacim*
(2) *Virum Mariae, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.*
(3) Vulg. *Itaque*
(4) Non habet *ſunt.*

ET A TRASMIGRA
TIONE BABYLONIS
VSQVE AD XPM
GENERATIONES
(1) SVNT QVATTVOR
DECIM
XPI AVTEM GENE
RATIO SIC ERAT
(2) CVM DESPONSA
TA ESSET MATER
EIVS MARIA IO
SEPH (3) PRIVSQVA
CONVENIRENT
INVENTA EST
IN VTERO HA
BENS DE SPIRI
TV SANCTO
IOSEPH AVTEM
VIR EIVS CVM
(a) ESSET (4) HOMO IVS
TVS ET NOLLET
EAM TRADVCE-
RE VOLVIT (5) EAM
OCCVLTE - - - - - -

TERE
HAEC (6) COGITAN
TE EO (7) ANGELVS
DMI APPARVIT (8)
EI IN SOMNIS DI
CENS IOSEPH FI
LI D - - - D NOLI TI
MERE ACCIPERE
MARIAM CONIV
GEM TVAM QVOD
(a) ENIM (9) EX EA NAS
CETVR DE - - - - -
SANCTO - - - - - -
ET AV - - - - - - - -
VM - - - - - - - - -
NOM - - - - - - - - - -
IHM - - - - - - - - - -
SAL - - - - - - - - - -
P - - - - - - - - - - - -
A PE - - - - - - - - - - -
HOC - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - -

(1) Vulg. non habet *ſunt*.
(2) *Cum eſſet deſponſata &c.*
(3) *Antequam*.
(4) Non habet *Homo*.
(5) *Occultè dimittere eam*.
(6) Vulg. addit : *autem*.
(7) Addit : *Ecce*.
(8) *In ſomnis ei dicens :*
(9) *In ea natum eſt*.

PER (1) ESEIAM PRO
PHETAM DICEN
TEM
ECCE - - - - - GO
IN V - - - - RO (2) CON
CIPIET - - - PARI
ET FILI - - - - ET
VOCAB - - NT
NOMEN EIVS
EMMANVEL
QVOD EST IN
- - - RPRAETA
- - - - - NOVIS
- - - - - S.
- - - - - - - AVTEM
- - - - - - - OMNO
- - - - - - - PRAE
- - - - - - NGE
- - - - - - - - - -
- - - - - - - - - -
- - - - - - - - - -
- - - - - - - - - -
- - - - - - - - - -
- - - - - - - - - -

VIT NOMEN EIVS
IHM.
CVM ERGO NATVS
ESSET IHS IN BE
THLEM (3) CIVITATE
(a) IVDAEAE IN DIE
BVS HERODIS RE
GIS ECCE MAGI AB
BORIENTE VENE
RVNT (4) HIEROSO
LYMA. DICENTES
VBI EST QVI NATVS
EST REX IVDAEO
RVM VIDIMVS
ENIM STELLAM
(b) EIVS (5) IN ORIEN
TEM ET VENIMVS
ADORARE EVM.
AVDIENS AVTE.
HERODES REX TVR
BATVS EST ET OM
NIS HIEROSOLY
MA CVM (6) IPSO ET
- - - - - - - - (7) GAVIT

(1) Vulg. non habet *Eſaiam*.
(2) *In utero habebit.*
(3) *Juda in diebus &c.*
(4) *Jeroſolymam.*
(5) Vulg. *In Oriente &c.*
(6) *Illo*
(7) *Congregans.*

OMNES PRINCI
PES SACERDOTV̆.
ET SCRIBAS POPV
LI (1) ET INTERROGA
BIT AB EIS VBI XP̆S
(2) NASCITVR AD ILLI
DIXERVNT IN BE
(a) THLEM (3) IVDAEAE
SIC ENIM SCRIP
(b) TVM EST PER (4) ESE
IAM PROPHETĂ.
DICENTEM
ET TV BETHLE
EM (5) IVDAEAE
NON ES MINI
MA INTER PRĬ.
CIPES IVDA EX
(c) TE ENIM EXI
ET REX QVI RE
GAT POPVLVM
MEVM ISTRA
HEL.
(d) TVM HERODES. (6) OC
CVLTE VOCAVIT

(a) MAGOS ET DILI
GENTES EXQVI
SIVIT AB EIS TEM
PVS - - - - - - PA
RVIT EIS STELLA
ET MISIT ILLOS IN
BETHLEM (7) DICENS
ITE INTERROGA
TE DILIGENTER DE
PVERO ET CVM
INVENERITIS
(8) NVNTIATE MI
(b) HI VT ET EGO VENI
AM ET ADOREM
EVM
QVI CVM AVDIS
SENT REGEM ABI
ERVNT ET ECCE
STELLA QVAM VI
DERANT (9) IN ORIĔ.
TEM ANTECEDE
BAT - - - - - - VE
\- - - - - - - - - - -
PRA - - - - - -

(1) Vulg. *Sciſcitabatur ab eis.*
(2) *Naſcitur. At illi dixerunt ei.*
(3) *Judae.*
(4) Reticet nomen Prophetae proprium.
(5) *Terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet Dux.*
(6) Vulg. *Clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellae, quae apparuit eis. Et mittens illos.*
(7) *Dixit: Ite & interrogate.*
(8) *Renuntiate mibi, ut & ego veniens adorem eum.*
(9) *In Oriente &c.*

ER .
VIDENTES AVTĒ.
STELLAM GAVI
SI SVNT GAVDI
O MAGNO VALDE
ET INTRANTES (1) IN
DOMVM VIDE
RVNT PVERVM
CVM (2) MARIAM
MATRE EIVS ET (3) PRO
CEDENTES ADO
RAVERVNT EV̄.
ET APERTIS THEN
SAVRIS SVIS OBTV
LERVNT EI MVNE
RA AVRVM THVS
(a) ET (4) MVRRA ET AD
MONITI IN SOM
NIS NE REDIRENT
AD HERODEM PER
ALIAM VIAM (5) RE
GRESSI SVNT IN
- - - AM REGIONĒ.
QVI CVM RECES

SISSENT ECCE AN
GELVS DM̄I. AP
PARVIT IN SOM
NIS IOSEPH DI
CENS SVRGE ET
ACCIPE PVERVM
ET MATREM EIVS
ET FVGE IN AEGYP
TVM ET ESTO IBI
VSQVE DVM DI
CAM TIBI FVTV
RVM EST ENIM
VT HERODES
(a) QVAERAT (6) PVE
RVM ISTVM PER
DERE
(b) SVRGENS AVTĒ.
IOSEPH A SOM
NO ACCEPIT PV
ERVM ET MA
TREM EIVS ET
(c) ABIIT IN AEGYP
TVM ET ERAT IBI
VSQVE AD MOR

---

(1) Vulg. *Intrantes domum invenerunt &c.*
(2) *Maria.*
(3) *Procidentes.*
(4) *Myrrham, & reſponſo accepto in ſomnis &c.*

(5) Vulg. *Reverſi ſunt in regionem ſuam.*
(6) *Puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit puerum, & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Aegyptum. Et erat ibi uſque ad obitum &c.*

TEM HERODIS
VT ADIMPLERE
TVR QVOD DIC
TVM EST A DMO
PER PROPHETAM
DICENTEM
EX AEGYPTO VO
CAVI FILIVM ME
VM TVNC HE
RODES (1) VT VIDIT
QVONIAM DE
LVSVS EST A MA
GIS IRATVS EST
VALDE ET MISIT
ET OCCIDIT OM
NES PVEROS
QVI ERANT IN
BETHLEM ET IN
OMNIBVS RE
GIONIBVS EIVS
A BIMATV ET IN
FRA SECVNDV.
TEMPVS QVOD
EXQVISIERAT

A MAGIS
TVNC ADIMPLE
TVM EST QVOD
DICTVM EST
PER HIEREMI
AM PROPHETAM
DICENTEM
VOX IN RHA
MA AVDITA
EST (2) FLETVS
ET VLVLATVS
MVLTVS RA
CHEL PLORANS
FILIOS SVOS
ET NOLVIT CO.
SOLARI QVI
A NON SVNT
DEFVNCTO AV
TEM HERODE
ECCE ANGELVS
DMI APPARV
IT IN SOMNIS
IOSEPH IN - - - -
GYPTO - - - - - NS

---

(1) Vulg. *Videns quoniam illuſus eſſet a Magis iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus Rivibus ejus.*

(2) Vulg. *Ploratus.*

SVRGE ET ACCIPE
PVERVM ET MA
TREM EIVS ET VA
DE IN TERRAM
(a) ISTRAHEL (1) DEFVNC
TVS EST ENIM
QVI QVAEREBAT
ANIMAM PVE
RI ET SVRGENS
ACCEPIT PVERVM
ET MATREM EIVS
ET VENIT IN TER
RAM ISTRAHEL
AVDIENS AVTEM
QVOD ARCHELAVS
REGNARET IN
IVDEA PRO HERO
DE PATRE SVO TI
MVIT ILLO IRE
ET ADMONITVS
IN SOMNIS SE
- - - - - - - - -
- - - - - - - - -
- - - - - - - - -

VIT IN CIVITATE
QVAE VOCATVR
NAZARETH VT
ADIMPLERETVR
QVOD DICTVM
EST PER PROPHE
TAM
QVONIAM (2) NA
ZOREVS VOCA
BITVR
IN ILLIS AVTEM
DIEBVS VENIT IOHANNES
BAPTISTA PRAE
DICANS IN DE
SERTO IVDEAE
ET DICENS PAE
NITENTIAM A
GITE ADPROPIN
QVAVIT ENIM
REGNVM CAE
LORVM HIC EST
ENIM (3) DE QVO
DICTVM EST PER
- - - - - - - - PHE

(1) Vulg. *Defuncti ſunt enim, qui quaerebant animam pueri. Qui conſurgens.*

(2) Vulg. *Nazaraeus.*

(3) *Qui dictus eſt.*

TAM DICENTEM
VOX CLAMAN
TIS IN DESER
TO PARATE VI
AM DMI REC
TAS FACITE SEMI
(a) TAS EIVS (1) OM
NIS VALLIS
IMPLEBITVR
ET OMNIS
MONS ET COL
LIS HVMILIA
BITVR ET ERVNT
OMNIA PRA
VA IN DIREC
TA ET ASPERA
IN VIAS PLA
NAS ET VIDE
BIT OMNIS
CARO SALV - -
- - - REM DI
IPSE AVTEM IO
HANNES - - - - - - -
BAT - - - - - - - - - -

(2) SVVM DE PILIS
CAMELLORVM
(3) ET ZONA PELLI
CIA CIRCA LVM
BOS EIVS ESCA
AVTEM EIVS
ERAT (4) LOCVSTA
ET MEL SILVES
TRAE
TVNC (5) EGREDIE
BATVR AD EV.
OMNIS HIERO
SOLYMA ET OM
NIS IVDEA ET
OMNIS CONFI
NIS REGION - - -
IORDANIS ET
BAPTIZABAN - - -
AB ILLO IN IOR
DANEN CO - - - -
TEN - - - - - - -
- - - - - - - - - -
- - - - - - - - - -
- - - - - - - - - -

(1) Quae ſequuntur verba Prophetae non habentur in Vulgata.
(2) Vulg. non habet *ſuum*.
(3) *Et Zonam pelliceam circa lumbos ſuos.*
(4) Vulg. habet *Locuſtae*
(5) *Exibat ad eum Jeroſolyma, & omnis Judaea & omnis regio circa Jordanem, & baptizabantur ab eo in Jordane.*

SAEORVM ET
SADDVCEORVM
VENIENTES AD
BAPTISMVM SV
